

*PARISIIS, Apud CL. AVDINET, viâ Amigdalinâ sub
insigni Veritatis Regiæ, propè Col. Graßinæum*



TITI PETRONII ARBITRI EQUITIS ROMANI SATYRICON,

Cui

Accedunt diverſorum Poëtarum

Luſus in Priapum, Errones Venerei, Pervigilium Veneris, Floridi de Qualitate vitæ, Epigrammata Valerii Æditui, Auſonii Cento Nuptialis, Cupido Cruci-Affixus, ejuſdem Roſæ, Priapiſmus, Epiſtolæ de Cleopatra., cum Ecloga Tobiæ Gutberleth.

Cum Notis Bourdelotij & Gloſſario Petroniano.

PARISIIS,
Apud CLAUDIUM AUDINET, viâ Amygdalinâ, ſub ſigno Veritatis Regiæ, propè Collegium Graſſinæum.

M. DC. LXXVII.

CANDIDO AC BENEVOLO

LECTORI

SALUTEM.

INTER omnes quotquot Satyras scripsere, Lector benevole, vix quemquam lepidiùs rem aggressum, majorique studio & animi candore pertractasse, quàm hunc nostrum Titum Petronium Arbitrum: quidquid etiam ejus hodie superest, seriò deprehendo. Hic enim adolescens (quem seipse auctor fingit) senili instructus prudentia , omnium pererrans cubilia , scholas atque pulpita, Forum, Curiam, Templa, convivantium triclinia , peregrinantium denique navigia atque itinera , speculator sagacissimus , tandem nobis quid ubivis locorum in grandi orbis theatro observaverit, in quas personas & exempla inciderit, ea ingenii amœnitate, fide & infucata verborum simplicitate re-

fert ut in ipsummet ceu primarum partium in hac fabula actorem omnis redundet invidia, confessum nimirum qualis ex mundi contagione evaserit, quidque pertulerit. Qui cùm sit principalis scopus hujus operis, ut ut à paucis observatus, quin potiùs aureum hoc scriptum pro nescio quo purgamento, ipseque auctor pro malesano Epicureo ex cujus ore & calamo nil nisi obscœna & turbida fluerent, magno errore à præcipuis quibusdam viris, habitus, age hîc prima statio esto. Deinceps visuri, *An quid certi indagari possit de ætate qua hic noster Petronius vixerit; & qua ratione sit cum fructu legendus.*

Certum est auctorem nostrum esse Petronium Arbitrum, solúm de prænomine, Titusne an Caius, & ætate variant Lil. Gregorius, Gyraldus Ferrariensis de Petronii vita: ab Eudemone & Libanio non longè aberat Petronius, Arbiter dictus, & Massiliensis à plerisque existimatus. Quo tempore vixerit, quodve institutum vitæ sectatus fuerit, haud sanè compertum: in declamationibus tamen versatum, ex iis quæ extant, elicimus. Litteratores quidam eum ante Quintilianum floruisse suspicantur, sed Placidus Lactantius illum vult Statio posteriorem, quòd ab eo versus sumpserit, suisque inseruerit, ut illud,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Non alium quàm Petronium Arbitrum ſignificari putarim illis Apollinaris hendecaſyllabis.

Et Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis Arbiter colonum
Helleſpontiaco parem Priapo.

Quidam C. Plinii codices, ut & Plutarchus in lib. de diſcr. amic. & adulat. *Titum* vocant : ſic in lib. XXXVII. Nat. hiſt. ſcriptum eſt : *Titus Petronius Cõſularis moriturus, invidiâ Neronis Principis, ut menſam ejus exheredaret, trullam murrhinam* CCC. HS. *emptam fregit.* Petronius alius, cujus Tacitus meminit libris XIV. & XV. eſt *Petronius Turpillianus,* Sic enim apud ipſum legendum eſt lib. XV. Ann. ex Plutarcho. Eum verò non ſub Nerone, ſed ſub Galba periiſſe certum eſt ex lib. I. Hiſt. Petroniorum familia Equeſtris fuit, meminitque Plinius lib. VI. P. Petronii Equeſtris ordinis & Præfecti Auguſtalis ſub Auguſto ipſo. Ex qua etiam familia fuiſſe veriſimile eſt Petronios quorum Gennadius Preſbyter Maſſilienſis honorificè meminit in libro de Viris illuſtribus ; ſed & Flavium, Sabinum, Probum, Maximum, Primulum, alioſque, quorum non apud ſcriptores modo, ſed in ipſis lapidibus monumenta reſtant : itemque il-

lum qui juſſu Caracallæ ante templum Divi Pii occiſus à Spartiano traditur. Sed & jureconſultum Petronium ad quem leguntur Sollii Sidonii epiſtolæ plures. Sanè Petronium Arbitrum Domitiani tempora præceſſiſſe, ex eo etiam intelligitur, quòd ejus Terentianus is eſt, quem ſuo tempore Sienen vixiſſe Martialis teſtatur. Is igitur, quiſquis tandem fuit, Petronii ſic meminit, cum de dimetro Jambico claudo agit:

Horatium videmus
Verſus tenoris hujus
Nuſquam locaſſe juges.
At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat.

C. Sidonius Apollinaris Arvernorum Epiſcopus in Narbone:

Et te Maſſilienſium per hortos.

Ubi illi *Maſſilienſium horti* (ut hoc obiter dicam) non tam mihi Arbitri patriam ſignificare videntur, quàm mores, qui ex Plautino proverbio, & Athenæi hiſtoria notati ſunt. In veteri libro Defloratorum, qui fuit Joannis Biturigum Ducis, non uſque adeò vetuſto, Petronii fruſta hanc inſcriptionem habent: *Petronii Arbitri Afranii Satyrici*, quod probare non poſſum. Nam ut quæ de Afranio Quintilianus ſcribit inquinaſſe eum argumenta fœdis puerorum amoribus mores

ſuos faſſum, de hoc quoque Petronio dici poſſe videatur, longè tamen alium ab Afranio fuiſſe certum eſt.

Quod ad Petronium noſtrum pertinet, jure meritoque de ejus ætate dubitavit Lipſius, & Petronium qui fuit *æqualis Neronis*, cum Petronio Satyricorum auctore confundere timuit: cum animadverteret à Cornelio Tacito in lib. XVI. Annalium relata de Petronio, haudquaquam Petronio Satyrici ſcriptori majore ex parte convenire. Certè ambo & nominibus diſcrepant. Prior dictus eſt *Cajus Petronius*, aut ut Plinius & Plutarchus vocant, *Titus Petronius*, & *inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt elegantiæ arbiter*, quod doctos viros in errorem induxit: ſed *Arbitri* nomen non tulit: poſterior ſeu Satyricorum auctor, propriis nominibus appellatus eſt *Petronius Arbiter*, quemadmodum à Fulgentio in lib. II. & III. Mythologiæ vocatur: & nunc ſub *Petronii*, nunc ſub *Arbitri* nomine à Terentiano Mauro, à Diomede, à Servio Honorato, à Macrobio Theodoſio, à Mario Victorino, ab Hieronymo, & à Sidonio aliiſque laudatur.

Præterea Cajus Petronius, ſi qua Tacito fides, Proconſul Bithyniæ, & mox Conſul extraordinarius fuit, *inter paucos*

Neroni Aug. *familiarissimus:* magnas opes, magnam familiam habuit: homo ignavus & deses, & otio & mollitiis fluens, erudito luxu ac scientiâ voluptatum acceptissimus vitioso Principi. At Petronium Arbitrum cùm multi laudent scriptores Latini, veteres ac recentiores: nemo tamen magistratus eum ullos gessisse, nemo divitem, nemo amicum Imperatoris Neronis fuisse, aut jussu ejus periisse memoriæ prodidit. Bibliotheca quidem Vaticana quædam Petroniana in codice scripta servat, & his Julii cujusdam epigramma præfixum, in quo Petronius *diri Neronis amicus* vocatur, & *Arbiter arbitrio suo dictus ipse* fertur. Sed hoc hexastichon ut incultum est, corruptum, ac recens; ita nullius apud doctos in historia auctoritatis.

Denique Cajus Petronius paulò ante mortem coactam *flagitia Principis, sub nominibus exoletorum feminarumque & novitate cujusque stupri, perscripsit, atque obsignata misit Neroni:* ut Cornelius Tacitus in lib. XVI. Annalium tradit. Quid habent ista cum Petronii Arbitri opere commune? Caij Petronii famosus libellus brevissimus fuit: at Petronii Arbitri Satyra grandis atque verbosa, vel justum potiùs opus extitit: Libellus Caij Petronii pro codicillis haberi poterat, & noctes ac stupra Domini Neronis, & in eum

cœtum admissorum atque ad omnem libidinem adscitorum exoletorum feminarumque nomina, quid quisque ibi novissimè fecissent, quid passi essent, paucis exponebat. Ficti nihil, omnia vera. Contrà Petronius Arbiter M. Varronem in Satyris Menippeis imitatus ex parte, prosa oratione variis carminibus mistâ sub falsis nominibus tanquam sub persona mores hominum notavit, ac vera ætatis suæ vitia carpsit: modò eloquentiam, picturam, Dialecticam, & defecisse queritur: modò Trojæ Halosin versibus jambicis describit: navigantium etiam rixas, naufragium, fabellamque de matrona Ephesina narrat: interdum regulas carminis exponit. Sequuntur versus de bello Civili ferè 300. & elusi captores. Qui non videt ista singula ac universa nihil ad Caii Petronii libellum, nihil ad Neronis flagitia noctesque pertinere, sed meram esse nudamque ac simplicem vitiorum & desidiæ humanæ reprehensionem, sale & mordaci aceto conditam: is planè nec in litteris nec in ulla alia re quidquam videt aut judicat.

Janus Dousa, ut Petri Pithœi conjecturam de ætate Petronii confirmet, scribit duas sententias aut parœmias, videlicet *Non bene olet, qui bene semper olet*, & *Ingeniosa gula est*, à Martiale & à Pe-

tronio ex æquo uſurpari : aliam item gnomen, *Primus in orbe Deos fecit timor*, Statio in libro III. Thebaïdos cum Petronio communem : ex quibus tamen ſententiis primam Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem, poſtremam Fabius Planciades Fulgentius in libro I. Mythologiæ (vetè, an falsò neſcio) Petronio tribuant. Quid tum ? Ideone credemus Petronium Arbitrum Neronis Aug. æqualem, & Statio atque Martiale vetuſtiorem fuiſſe, amboſque hæc hemiſtichia Petronio potiùs, quàm Petronium ambobus debere ? Nonne Placidius Lutatius putat, & diſertis verbis ait, Arbitrum hemiſtichion ſuprà laudatum de origine ſuperſtitionis à Papinio Statio accepiſſe ? Idem planè dicendum de verſu, quem Hieronymus ad Demetriadem affirmat apud Arbitrum reperiri. Igitur hemiſtichium de odoribus Hieronymus non Martiali primo auctori, ſed Petronio; hemiſtichium alterum de ſuperſtitione Fabius Fulgentius non Statio uti facere oportebat, ſed eidem Petronio aſſeruit, proptetea quòd utrique hæc apud Petronium legerant & legiſſe meminerant ; apud Statium & Martialem aut non invenerant, aut ſaltem inveniſſe non recordabantur, nec multùm curabant an ab aliis ſcriptoribus priùs quàm à Petro-

nio fuiſſent uſurpata. Quare facilè & libenter accedo Henrici Valeſii fratris mei ſententiæ, qui Petronium Arbitrum Principatu Neronis multò recentiorem, ac Natione Gallum fuiſſe, atque in Provincia Viennenſi, finibuſque Maſſilienſium Græcorum habitaviſſe credit, adductus hiſce Apollinaris Sidonii verſibus, aut ſatis hactenus examinatis intellectiſque, in carmine XXIII. quod inſcribitur Narbo.

Ex te Maſſilienſium per hortos
Graij ceſpitis Arbiter colonum
Helleſpontiaco parem Priapo.

Ita enim emendandum verſum medium frater exiſtimat, cùm legatur in editis Sidonii exemplaribus,

Sacri ſtipitis Arbiter colonum:

Nec dubitat in priſcis Sidonii codicibus ſcriptum fuiſſe *GraI ceſpitis* ſeu *Graji ceſpitis:* quod cùm non intelligeretur à legẽtibus in *ſacri ſtipitis* perperam mutatũ ſit. Quæ vulgata lectio haud dubiè vitioſa eſt, ac ferri nullomodo poteſt. Quippe ſi *ſacri ſtipitis* nomine Priapum ligneum deſignare voluiſſet Sidonius (ſimulachra enim Priapi cuſtodis hortorum ad eorum oſtia collocari conſueverant) Priapi in hortis Maſſilienſium poſiti *colonum* Petronium Arbitrum vocaturus non fuit, ſed cultorem, &c.

Hîc virum doctissimum Petrum Pithœum admodũ miror, qui sibi *videri* ait, à Sidonio tribus versibus suprà laudatis *nõ tam Arbitri patriam quàm mores designari*. Massiliensium moribus *Plautino proverbio & Athenæi historiâ notatis* simillimos. Quasi horti Massiliensium mores eorum corruptos atque degeneres indicare potiùs apud Sidonium valeant aut debeant, quàm Petronii Arbitri domicilium, ibi voluptatibus vacantis, ac in hortis otiantis, &c. Præterea Petronii stilus non Romæ natum, sed Transalpinum hominem sapit. Quando igitur Petronius Arbiter floruit? quæret aliquis. Equidem existimo eum potiùs circa Antoninorum Principatum vixisse, quàm (ut frater meus arbitratur) Gallieni Augusti æqualem fuisse: cùm quòd elegantia Petronii in ætatem Gallieni, hoc est, in senectutem Imperii Romani, ac velut in fæcem linguæ Latinæ cadere mihi non videtur. Petronium paulò ante Constantini Augusti tẽpora, certè longè infra Severum colloco. Hoc mihi persuadet altissimum de illo silentium in scriptis vetustiorum Auctorum, Quintiliani, Suetonii, Plinii; Prisciano demum, Diomedi, Victorino & S. Hieronymo memoratus. Nec spernendum testimonium ipsius auctoris *picturæ ne vestigium quidem reliquum esse* dolen-

tis, cui ego crimini ſeculo Neronis nullum omnino locum reperio, cùm ad uſque Commodi Principatum ſtatuas egregio artificio perfectas adhuc extare in Urbe audiam. Optaſſem ſimiliter qui Pithœum ſecuti pro ſua ſententia cauſas adduxiſſe, nec ſolam nominis umbram hîc nobis reliquiſſe. Mihi quidem quæ D. Valeſius de ſtilo tangit, vix, quæ D. Statilius affert, præſertim de pictura, cùm Arbiter idem de Eloquentia atque Poëſi aſſerat, planè tanti non videntur, ut à communi recedam, quin potiùs pro hac confirmanda facere videntur verba hæc, *Ecce belli civilis ingens opus*, &, *In Aſiam cùm à Quæſtore ſtipendio eſſem reductus. Zeuxidos manus vidi nondum vetuſtatis injuriâ victas. Inaudito more pueri pedes recumbentium unxerunt.* Quæ ſi expendantur, ad antiquitatem auctoris ſpectant: hoc ſolùm dico me in toto Satyrico quantum hodie quidem ejus extat nihil tale invenire, quod Neronem & ipſius noctes prodat. Aiunt Neronem ſub nomine Trimalchionis tegi: ſed Trimalchio ab Arbitro mitis ſenex, calvus, deformis, ſervus quondam, ex Aſia oriundus, qui Domino tot annos ad delicias fuerit, mercator deinde & conjux Fortunatæ, ambabaiæ quam de mactra ſuſtulit, inducitur; quî, quæſo, hæc naturæ, ætati, ſtatui, & uxoribus (Poppææ, ac

priori) Neronis congruunt ? Noctem quidem seu nocturnam delectationem habemus in Satyrico unam, sed cui non præfuit Nero, si Nero est Trimalchio, nec nocturnus grassator noctem ambiit, sed Quartilla juvenes Encolpium & Ascylton in stabulo ultrò accessit. Hæc rursus ab ingenio & ratione agendi Neronis longissimè absunt.

Accedo nunc ad alterum membrum, *Qua ratione Petronius Arbiter cum fructu legendus*. Ubi præprimis eximendus scrupulus, qui multos torsit, multos eò redegit ut in sola amœnitate, hunc auctorem volvendo, acquiescerent: nimirum Petronium opinatos sectæ addictum fuisse Epicureæ, negasse cum Epicuro providentiam Dei & immortalitatem animæ, tum finem, tum summum bonum hominis in voluptate quæ sensu percipitur, collocasse, adducentes pro sua sententia verba Satyrici atque fragmenti

Primus in Orbe Deos fecit timor.
Ergo vivamus dum licet esse bene.
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Iussit, &c.

Nolo me ego hîc immittere, quæ vera Epicuri fuerit mens, inprimis de *voluptate*, cùm legam apud Laërtium in ejus vita circa finem hæc: Ὁ δ' Ἐπίκουρος καὶ ἀχώριστόν φησι τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετὴν μόνην· τὰ δ' ἄλλα χωρίζεσθαι, οἷον βρωτά. *Epicurus au-*

tem ſolam ait virtutem à voluptate ſeparari non poſſe; reliqua verò ſeparari, ut mortalia. Et paulò poſt: Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς. *Non licet jucundè, niſi prudenter atque honeſtè vivere.* Breviter ſolùm repono, ad primum ceu fulcrum reliquorum, allegatum nimirum contra Providentiam epigramma: *Primus in orbe Deos, &c.* Potiùs perlecto toto carmine Arbitrum dicendum, ſuperſtitionem & multitudinem Deorum pro acumine ingenii ſui excogitare, quàm Superos negare rerum humanarum curam gerere: ſuadet id ultimus verſus:

Jam ſibi quiſque Deos avido certamine fecit.

Miréque conſonant hæc verba. *Noſtra regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut faciliùs poſſis deum quàm hominem invenire. Ecce duos aureos pono, unde poſſitis & deos & anſeres emere.* Contra immortalitatem animæ nihil objicientibus Satyricon ſuppeditat, trahunt huc locum verba Taciti: *Audiebaturque (moriturus) referentes, nihil de immortalitate animæ & ſapientium placitis, ſed levia carmina & faciles verſus.* Quæ nihil aliud probant, quàm quid Petronius (ſive ille noſtri operis auctor, ſive alius (tunc egerit, non quid revera ſenſerit de voluptate: O miſerandam jucunditatem quæ tot amaritu-

dines & perpetuas pœnas, easque in dies sæviores secum trahit! jam juventus ludens lorîs cæditur, jam amasium inquirens dispoliatur, eundem infelicissimum prædicat, ipse ad suspendii necessitatem redigitur, Tryphænam suam damnatam mulierem, & in toto navigio solam verberandam clara liberáque voce pronuntiat, hoccine voluptatis præmium, Epicurei summi boni, in quo ii vivere & mori cupiant? Vix mihi persuadeo ullum tam demẽtem inter mortales unquam extitisse, qui in momentanea corporis voluptate finem hominis collocavit. In talibus igitur auctori fictio agnoscenda, cùm sub schemate hîc omnia agantur, Epos si excipias belli civilis, Halosin Trojæ, & si quæ hujusmodi, ac sententiosa per totum scriptum sparsa, quæ quò spectent, continuò liquet, in aliis mimum componit: nunc ex re, nunc ex persona ficto semper gaudens nomine, nunc ex utroque, ut quò collineet, saltem in circumstantiis, non perinde obvium sit. Laudat quoque Epicurum somnia condemnantem, non ceu magistrum & ex animi sui sententia, sed argumento inserviens, quemadmodum sæpissimè etiam Seneca eundem Epicurum pro suis placitis stabiliendis adducit, cui tamen de cætero non adhæsit. Ut verò uno quasi ictu cadat Epi-

eureismi objectio, & lector ab hac frivola opinione minimè præoccupetur, ecce verba Satyrici nostri pro Deorum providentia. *Ni Deus quidam humanarum rerum arbiter pendenti excussisset indicium; Deos immortales curam humanarum rerum agere, puto intellexisti.*

Rerum humanarum divinarumque potestas
Fors cui nulla placet nimium secura potestas,
Quare age Fors, muta pacatum in prœlia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.

Hæc Pluto seu Dis pater de castiganda luxuria Romanorum ad Fortunam, quam Epicurus planè non admittit, ut vel ex hoc uno appareat, Arbitrum ab Epicuri dogmate alienissimum fuisse. Cæsar ad Jovem.

Juppiter omnipotens, & tu Saturnia tellus
Armis læta meis --- Testor ---
Hæc ubi personuit de cœlo Delphicus ales
Omnia læta dedit, &c.

Pro immortalitate animæ Fortuna ad Ditem,

Pande age terrarum sitientia regna tuarum,
Atque animas arcesse novis: vix navita Porthmeus

Sufficiet ſimulachra virûm traducere cymbâ,
Claſſe opus eſt.

Pro fine & ſumma hominis felicitate in actione conſiſtere virtutis, invicto argumento ex contrario ſenſu, ex ore ipſius Encolpii, (qui ibi Polyænos audit) ſeu auctoris: *Dii, deæque, quám malè eſt extra legem viventibus! quidquid meruerunt ſemper expectant.* ut ſileam hæc. O *maxima rerum pietas, &c.*

Habes, mi Lector, metam operis & cynoſuram lectionis. Supereſt modò ut paucis evolvam, quid cætera præter principalem hunc ſcopum in Satyrico tractetur, occaſione nempe perſonarum & locorum in quæ Encolpius incidit. Primum itaque in hiſce fragmentis (nam maximam partem deſideramus) enormem morum proluviem Severus Arbiter noſter proſcripturus, quomodo de eo loquitur Puteanus loco paulò antè allegato, in bonarum artium profeſſores, ipſoſque adeò parentes ob pravam educationem, & inſtitutionem invehitur. Mox procuratorum forenſium & advocatorum calumnias, Judicumque juſtitiam taxat. Tum in ſacerdotum infandas libidines atque hypocriſin invectus, tranſitum ad luxum conviviorum facit, quem ſub Trimalchionis nomine ac lautitiis prolixè per-

ſtringit. Hinc de ſcelerata pædagogorum nequitia & Philoſophorum hypochriſi parentes atque amicos ſeriò monet: accuſat literatorum, & artificum ſocordiam: reprehendit publicarum balneatorum turpitudinem. Poſtmodum maritorum & negotiatorum, quorumdam ſive fortunam, ſive ingenium tangens, acerrimè in levitatem feminarum animadvertit, quàm facilè adamant, & peregrinos quidem juvenes ultrò ambiant. Porrò in impoſturas ac fraudes exulum & natale ſolum vertentium, quibus hoſpites ſuos & creditores, dum amplos alibi cenſus jactitant, circumſcribunt, ſtylum exacuit. Inſaniam denique teſtatorum & captatorum nefariis conditionibus ſibi invicem inſidiantium notat. Et hæc tantùm reliqua ſunt hujus Satyrici capita: cætera injuria temporum nobis invidit. Hîcque quod interpretes monent meminiſſe juvabit. Epiſt. ad Rom. cap. 1. & 13. tum ad Galat. 5. 1. ad Cor. 6. quibus locis Apoſtolus de flagitiis Romanorum & Græcorum agit; non melius quàm perlecto hoc Satyrico intelligi poſſe.

Supereſt, ut *quid hac in editione præſtitum* ediſſeram: Satyricon damus vetus, ſimul & fragmentum ejuſdem. Deinde P. Petronii Rhetoris declamationem & Petronii Grammatici fragmenta adjungi-

mus. Postea plerumque tum Petronii nomine insignitorum, tum aliorum quos recensere labor foret inutilis ac planè frustraneus; subjicimus Epigrammata, Sulpiciæ Satyricon carmen, Joannis Bourdelotii notas criticas, quæ ad Petronii Satyricon intelligendum maximæ erunt utilitati, ac pariter ipsiusmet Petronii glossarium (quo nil lucidius) aptissimum ad verba Latino sermoni penitus ignota græcumque potiùs redolentia, quod non mediocre afferet commodum, explananda perscrutandaque: omissis denique variorum Interpretum commentariis transvolamus ad Priapeia seu diversorum Poëtarum in Priapum lusus, cui succedunt veterum Poëtarum Errones Venerei, Pervigilium Veneris, Floridi de Qualitate vitæ, Epigramma Valerii Æditui, Ausonii Cento nuptialis, Cupido cruci-affixus, Ejusdem Rosæ, Priapismus cum Ecloga Tobiæ Gutberleth. Hæc satis sint, & priusquam te, mi Lector, deseram, unum moneo, nimirum supplenda suppleas benignus, omniáque legitimè ac honesto fine legas. Quibus sic indicatis, vale, & studiis nostris fave.

TITI PETRONII ARBITRI, EQUITIS ROMANI, SATYRICON.

NUM alio genere furiarum declamatores inquietantur? qui clamant, Hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam ſucciſi poplites membra non ſuſtinent. Hæc ipſa tolerabilia eſſent, ſi ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc & rerum tumore, & ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu, hoc tantum proficiunt, ut cùm in forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos

existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident; sed piratas cum catenis in litore stantes, & tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant; sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque quasi papavere & sesamo sparsa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam benè olere, qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur, & caderet. Nondum juvenes declamationibus continebantur, cùm Sophocles, aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cùm Pindarus, novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne Poëtas quidem ad testimonium citem, certè neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis, &, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulchritudine exurgit. Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia com-

migravit, animoſque juvenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere adflavit, ſimulque corrupta eloquentiæ regula ſtetit, & obmutuit. Quis poſtea ad ſummam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam proceſſit? ac ne carmen quidem ſani coloris enituit: ſed omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuerunt uſque ad ſenectutem caneſcere. Pictura quoque non alium exitum fecit, poſtquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit. Non eſt paſſus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipſe in ſchola ſudaverat: ſed, adoleſcens, inquit, quoniam ſermonem habes non publici ſaporis, &, quod rariſſimum eſt, amas bonam mentem, non fraudabo te arte ſecreta. Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere. Nam ni dixerint, quæ adoleſcentuli probent, ut ait Cicero, *ſoli in ſcholis relinquentur;* ſicut ficti adulatores, cùm cœnas divitum captant, nihil prius meditantur, quam *id* quod putant gratiſſimum auditoribus fore (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint:) ſic eloquentiæ magiſter, niſi, tanquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe præ-

dæ moratur in ſcopulo. Quid ergo eſt? parentes objurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos ſevera lege proficere. Primum enim, ſicut omnia, ſpes quoque ſuas ambitioni donant: deinde, cùm ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & eloquentiam, qua nihil eſſe majus confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus. Quod ſi paterentur laborum gradus fieri, ut ſtudioſi juvenes lectione ſevera mitigarentur, ut ſapientiæ præceptis animos componerent, ut verba atroci ſtilo effoderent, ut quod vellent imitari, diu audirent, ſibi nihil eſſet magnificum, quod pueris placeret: jam illa grandis oratio haberet majeſtatis ſuæ pondus. Nunc pueri in ſcholis ludunt, juvenes ridentur in foro; & quod utroque turpius eſt, quod quiſquis perperam diſcit, in ſenectute confiteri non vult. Sed ne me putes improbaſſe ſchedium Lucilianæ humilitatis, quod ſentio, & ipſe carmine effingam:

Artis ſeveræ ſi quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius more
Frugalitatis lege polleat exacta:
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Clienſque cœnas impotentium captet:
Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcæna
Sedeat redemptus hiſtrioniæ addictus.

Sed sive armigeræ rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus, det primos versibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem;
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma.
Hinc Romana manus circumfluat, & modo Grajo
Exonerata sono mutet suffusa saporem:
Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri discincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore:
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.
His animum succinge bonis, sic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Dum hæc diligentius audio, non notavi mihi Ascylti fugam: & dum in hoc dictorum æstu totus incedo, ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus, qui Agamemnonis suasoriam exceperat. Dum ergo juvenes sententias rident, ordinemque totius dictio-

nis infamant, opportunè ſubduxi me; & curſim Aſcylton perſequi cœpi. Sed nec viam diligenter tenebam, nec quo loco ſtabulum eſſet, ſciebam. Itaque quocumque ieram, eodem revertebar. donec in curſu fatigatus, & ſudore jam madens, accedo aniculam quandam, quæ agreſte olus vendebat: Et, rogo, inquam, mater, numquid ſcis, ubi ego habitem? Delectata illa urbanitate tam ſtulta, &, Quidni ſciam? inquit. conſurrexitque, & cœpit me præcedere. Divinam ego putabam: at ſubinde, ut in locum ſecretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit: &, Hîc, inquit, debes habitare. Cùm ego negarem me cognoſcere domum, video quoſdam, inter titulos, nudaſque meretrices furtim conſpatiantes. Tardè, imo jam ſero intellexi, me in fornicem eſſe deductum: execratus itaque aniculæ inſidias, operui caput, & per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem: cùm ecce in ipſo aditu occurrit mihi æque laſſus, ac moriens Aſcyltos: putares, ab eadem anicula eſſe deductum. Itaque ut ridens eum conſalutavi, quid in loco tam deformi faceret, quæſivi. Sudorem ille manibus deterſit, &, Si ſcires, inquit, quæ mihi acciderunt. Quid novi? inquam ego. At ille deficiens, Cùm errarem, inquit, per totam civi-

tatem, nec invenirem, quo loco ſtabulum reliquiſſem, acceſſit ad me paterfamilias, & ducem ſe itineris humaniſſimè promiſit. Per anfractus deinde obſcuriſſimos egreſſus, in hunc locum me perduxit, prolatoque peculio cœpit rogare ſtuprum. Jam pro cella meretrix aſſem exegerat, jam ille mihi injecerat manum; & niſi valentior fuiſſem pœnas dediſſem. * adeo ubique omnes mihi videbantur, ſatyrion bibiſſe * * junctis viribus moleſtum contempſimus * * quaſi per caliginem vidi Gitona in crepidine ſemitæ ſtantem, & in eundem locum me conjeci. * * Cùm quærerem, Numquid nobis in prandium frater paraſſet, conſedit puer ſuper lectum, & manantes lacrymas pollice extersit. Perturbatus ego habitu fratris, quid accidiſſet, quæſivi. at ille tarde quidem & invitus, ſed poſtquam precibus & iracundiam miſcui: Tuus, inquit, iſte frater, ſeu comes, paulo ante in conductum adcucurrit, cœpitque mihi velle pudorem extorquere, Cum ego proclamarem, gladium ſtrinxit; &, Si Lucretia es, inquit, Tarquinium inveniſti. Quibus ego auditis, intentavi in oculos Aſcylti manus: &, Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ ſcortum, cujus ne ſpiritus purus eſt? Inhorreſcere ſe finxit Aſcyltos; mox ſu-

blatis fortius manibus, longe majore nisu clamavit: Non taces, inquit, gladiator obſcœne, quem de ruina arena dimiſit? non taces nocturne percuſſor, qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnaſti? cujus eadem ratione in viridario frater fui, qua nunc in diverſorio puer eſt? Subduxiſti te, inquam, à præceptoris colloquio. Quid ego, homo ſtultiſſime, facere debui, quum fame morerer? an videlicet audirem ſententias, id eſt, vitrea fracta, & ſomniorum interpretamenta? Multo me turpior es tu hercule, qui, ut foris cœnares, Poëtam laudaſti. Itaque ex turpiſſima lite in riſum diffuſi, pacatius ad reliqua ſeceſſimus. * Rurſus in memoriam revocatus injuriæ, Aſcylte, inquam, intelligo nobis convenire non poſſe, itaque communes ſarcinulas partiamur, ac paupertatem noſtram privatis quæſtibus tentemus expellere. Et tu literas ſcis, & ego, ne quæſtibus tuis obſtem, aliquid aliud promittam: alioqui mille cauſæ nos quotidie collident, & per totam urbem rumoribus different. Non recuſavit Aſcyltos, &, Hodie, inquit, quia tanquam ſcholaſtici ad cœnam promiſimus, non perdamus noctem: cras autem, quia hoc libet, & habitationem mihi proſpiciam, & aliquem fratrem. Tardum eſt, inquam,

differre quod placet. * * Hanc tam præcipitem divisionem libido faciebat. Jamdudum enim cupiebam amoliri custodem molestum, ut veterem cum Gitone meo rationem diducerem. * * Postquam lustravi oculis totam urbem, in cellulam redii, osculisque tandem bona fide exactis, alligo arctissimis complexibus puerum, fruorque votis usque ad invidiam felicibus. Nec adhuc quidem omnia erant facta, cùm Ascyltos furtim se foribus admovit, discussisque fortissimè claustris, invenit me cum fratre ludentem: risu itaque plausuque cellulam implevit, opertum me amiculo evolvit, & quid agebas, inquit, frater sanctissime? quid vesticontubernium facis. nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit, & me cœpit non perfunctoriè verberare; adjectis etiam petulantibus dictis. Sic dividere cum fratre nolito. * * Veniebamus in forum deficiente jam die, in quo notavimus frequentiam rerum venalium, non quidem preciosarum, sed tamen quarum fidem malè ambulantem obscuritas temporis facillimè tegeret. Cùm ergo & ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus, uti occasione opportunissima cœpimus, atque in quodam angulo laciniam extremam concutere, si quem fortè emptorem splendida vestis posset adducere.

Nec diu moratus rusticus quidam, familiaris oculis meis cum muliercula comite propius accessit, ac diligentius considerare pallium cœpit: invicem Ascyltos injecit contemplationem super humeros rustici emptoris, ac subito exanimatus conticuit. Ac ne ipse quidem sine aliquo motu hominem conspexi: nam videbatur ille mihi esse, qui tuniculam in solitudine invenerat; plane is ipse erat. Sed cum Ascyltos timeret fidem oculorum, ne quid temerè faceret, prius tanquam emptor propius accessit, detraxitque humeris laciniam, & diligentius tenuit. O lusum fortunæ mirabilem! Nam adhuc nec suturæ quidem attulerat rusticus curiosas manus, sed tanquam mendici spolium etiam fastidiose venditabat. Ascyltos, postquam depositum esse inviolatum vidit, & personam vendentis contemptam, seduxit me paululum à turba: &, Scis, inquit, frater, rediisse ad nos thesaurum de quo querebar? Illa est tunicula adhuc, ut apparet, intactis aureis plena. Quid igitur facimus; aut quo jure rem nostram vindicamus? Exhilaratus ego, non tantum quia prædam videbam, sed etiam, quod fortuna me à turpissima suspicione dimiserat, negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum, ut si nollet alienam rem domino reddere,

ad interdictum veniret.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Ipsi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam nummis vendere verba solent.
Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atque Eques in causa qui sedet, empta probat.

Contra Ascyltos leges timebat: &, quis, aiebat, hoc loco nos novit? aut quis habebit dicentibus fidem? Mihi plane placet emere, quamvis nostrum sit, quod agnoscimus, & parvo ære recuperare potius thesaurum, quam in ambiguam litem descendere. Sed præter unum dipondium sicilicumque, quibus lupinos destinaveramus mercari, nihil ad manum erat. Itaque ne interim præda discederet, vel minoris pallium addicere placuit, ut pretium majoris compendii leviorem faceret jacturam. Cùm primùm ergo explicuimus mercem, mulier operto capite, quæ cum rustico steterat inspectis diligentius signis, injecit utramque laciniæ manum, magnaque vociferatione, latrones tenere, clamavit. Contra, nos perturbati, ne videremur nihil agere, & ipsi scissam & sordidam tenere cœpimus tunicam, atque eadem invidia proclamare, nostra esse spolia, quæ illi

poſſiderent. Sed nullo genere par erat cauſa noſtra, & conciones, quæ ad clamorem confluxerant, noſtram, ſcilicet de more, ridebant invidiam; quod pro illa parte vindicabant pretioſiſſimam veſtem, pro hac pannuciam ne centonibus quidem bonis dignam. Hinc Aſcyltos pene riſum diſcuſſit: qui, ſilentio facto, Videmus, inquit, ſuam cuique rem eſſe cariſſimam, reddant nobis tunicam noſtram, & pallium ſuum recipiant. Etſi ruſtico, mulierique placebat permutatio, advocati tamen jam penè nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant, Uti apud ſe utraque deponerentur, ac poſtero die Judex querelam inſpiceret. Neque enim res tantum, quæ viderentur in controverſiam eſſe, ſed longe aliud quæri, in utra parte ſcilicet latrocinii ſuſpicio haberetur. Jam ſequeſtri placebant, & neſcio quis ex concionibus calvus tuberoſiſſimæ frontis, qui ſolebat aliquando & ad cauſas agere, invaſerat pallium, exhibiturumque craſtino die, adfirmabat. Cæterum apparebat nihil aliud quæri, niſi ut ſemel depoſita veſtis inter prædones ſtrangularetur, & nos metu criminis non veniremus ad conſtitutum. Idem plane & nos volebamus. Itaque utriuſque partis votum caſus adjuvit. Indignatus enim ruſticus, quod nos centonem exhiben-

dum postularemus, misit in faciem Ascylti tunicam, & liberatos querela jussit pallium deponere, quod solum litem faciebat. Ergo recuperato, ut putabamus, thesauro in diversorium præcipites abimus, præclusisque foribus, ridere acumen non minus concionum, quam calumniantium, cœpimus, quod nobis ingenti calliditate pecuniam reddidissent.

Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mi placet parata.

* * *

Sed ut primum beneficio Gitonis præparata nos implevimus cœna, ostium satis audaci strepitu impulsum exsonuit. Cum & ipsi ergo pallidi rogaremus. Quis esset, Aperi, inquit, jam scies. Dum loquimur, sera sua sponte delapsa cecidit, reclusæque subito fores admiserunt intrantem. Mulier autem erat operto capite, illa scilicet, quæ paulo ante cum rustico steterat: & Me derisisse, inquit, vos putabatis. Ego sum ancilla Quartillæ, cujus vos sacra ante cryptam turbastis. Ecce ipsa venit ad stabulum, petitque, ut vobiscum liceat loqui. nolite perturbari. nec accusat errorem vestrum, nec punit. imo potius miratur, quis deus juvenes tam urbanos in suam regionem detulerit. Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectenti-

bus, intravit ipſa una comitata virgine, ſedenſq; ſuper thorum meum, diu flevit. Ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, ſed attoniti expectavimus lacrymas ad oſtentationem doloris paratas. Ut ergo tam ambitioſus detonuit imber, retexit ſuperbum pallio caput, & manibus inter ſe uſque ad articulorum ſtrepitum contritis. Quænam eſt, inquit, hæc audacia? aut ubi fabulas, & anteceſſura latrocinia didiciſtis? miſereor medius fidius veſtri: neque enim impune quiſquam, quod non licuit, adſpexit. utique noſtra regio tam præſentibus plena eſt numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire. ac ne me putetis ultionis cauſa huc veniſſe, ætate magis veſtra commoveor, quam injuria mea. Imprudentes enim, ut adhuc puto, admiſiſtis inexpiabile ſcelus. Ipſa quidem illa nocte vexata, tam periculoſo inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem. & ideo medicinam ſomno petii, juſſaque ſum vos perquirere, atque impetum morbi monſtrata ſubtilitate lenire. Sed de remedio non tam valde laboro. major enim in præcordiis dolor ſævit, qui me uſque ad neceſſitatem mortis deducit. ne ſcilicet juvenili impulſi licentia, quod in ſacello Priapi vidiſtis, vulgetis, deorumque conſilia

proferatis in populum. Protendo igitur ad genua veſtra ſupinas manus, petoque, & oro, ne nocturnas religiones, jocum riſumque faciatis, neve traducere velitis tot annorum ſecreta, quæ myſtæ vix omnes noverunt. Secundum hanc deprecationem lacrymas rurſus effudit, gemitibuſque largis concuſſa, tota facie ac pectore thorum meum preſſit. Ego eodem tempore & miſericordia turbatus, & metu, bonum animum habere eam juſſi, & de utroque eſſe ſecuram. Nam neque ſacra quemquam vulgaturum, & ſi quod præterea aliud remedium ad tertianam deus illi monſtraſſet, adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo noſtro. Hilarior poſt hanc pollicitationem facta mulier, baſiavit me ſpiſſius, & ex lacrymis in riſum mota deſcendentes ab aure capillos meos dentata manu duxit: &, Facio, inquit, inducias vobiſcum, & à conſtituta lite dimitto. Quod ſi non adnuiſſetis de hac medicina, quam peto, jam parata erat in craſtinum turba, quæ & injuriam meam vindicaret, & dignitatem.

Contemni turpe eſt; legem donare, ſuperbum.
Hoc amo, quod poſſum qualibet ire via.
Nam ſane ſapiens contemptus jurgia flectit;
Et, qui non jugulat, victor abire ſolet.

Complosis deinde manibus in tantum repente risum effusa est; ut timeremus. Idem ex altera parte & ancilla fecit, quæ prior venerat. Idem virguncula, quæ una intraverat. Omnia mimico risu exsonuerant, cum interim nos, quæ tam repentina esset mutatio animorum facta, ignoraremus, ac modo nosmetipsos, modo mulieres intueremur. * * Ideo vetui, hodie in hoc diversorio quemquam mortalium admitti, ut remedium tertianæ sine interpellatione à vobis acciperem. Ut hæc dixit Quartilla, Ascyltos quidem paulisper obstupuit: ego autem frigidior hieme Gallica factus, nullum potui verbum emittere. Sed ne quid tristius expectarem, comitatus faciebat. Tres enim erant mulierculæ, siquid vellent conari, infirmissimæ, scilicet contra nos, quibus si nil aliud virile, sexus esset, quod auxiliaretur. Et præcincti certè altius eramus: imo ego sic jam paria composueram, ut si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem, Ascyltos cum ancilla, Giton cum virgine. * * Tunc vero excidit omnis constantia attonitis, & mors non dubia miserorum oculos cœpit obducere. * * Rogo, inquam, domina, si quid tristius paras, celerius confice. neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti

perire. * * Ancilla, quæ Psyche vocabatur, lodiculam in pavimento diligenter extendit. * * Sollicitavit inguina mea mille jam mortibus frigida. * * Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet, periculosum esse alienis intervenire secretis * * duas institas ancilla protulit de suris: alteraque pedes nostros adligavit, altera manus. * * Ascyltos jam deficiente fabularum contextu, Quid ergo, inquit, non sum dignus, qui bibam? Ancilla risu meo prodita complosit manus, &, Apposui quidem, inquit, adolescens: solus tantum medicamentum ebibisti? Itane est, inquit, Quartilla, quidquid satyrii fuit, Encolpius ebibit? * * non indecenti risu latera commovit. * * Ac ne Giton quidem ultimo risum tenuit, utique postquam virguncula cervicem ejus invasit, & non repugnanti puero innumerabilia oscula dedit. * * Volebamus miseri exclamare, sed nec in auxilio erat quisquam, & hinc Psyche acu comatoria cupienti mihi invocare Quiritium fidem, malas pungebat; illinc puella penicillo, quod & ipsum satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat. * * Ultimo cinædus supervenit myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus, modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit;

donec Quartilla ballenatiam tenens virgam, alteque succincta, jussit infelicibus dari missionem. * * Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis, inter nos periturum esse tam horribile secretum. * Intraverunt palæstricæ quam plures, & nos legitimo perfusos oleo refecerunt. Utcumque igitur lassitudine abjecta, cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti sumus; in qua tres lecti strati erant, & reliquus lautitiarum apparatus splendidissime expositus. Jussi ergo discubuimus, & gustatione mirifica initiati, vino etiam falerno inundamur. Excepti etiam pluribus ferculis cum laberemur in somnum, Itane est? inquit Quartilla, etiam dormire vobis in mente est, cum sciatis Priapi genio pervigilium deberi? Cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quæ injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra, humerosque sopitionibus pinxit. Jam ego etiam tot malis fatigatus minimum veluti gustum hauseram somni: idem & tota intra forisque familia fecerat: atque alii circa pedes discumbentium sparsi jacebant, alii parietibus appliciti, quidam in ipso limine conjunctis marcebant capitibus: lucernæ quoque humore defectæ, tenue, & extremum lumen spargebant,

tum duo Syri expiraturi lagenam, triclinium intraverunt: dumque inter argentum avidius rixantur, diductam fregerunt lagenam. cecidit etiam mensa cum argento, & ancillæ super torum marcentis excussum forte altius poculum, caput fregit. ad quem ictum exclamavit illa, pariterque & fures prodidit, & partem ebriorum excitavit. Syri illi, qui venerant ad prædam, postquam se deprehensos intellexerunt, pariter secundum lectum conciderunt, ut putares huc convenisse, & stertere tanquam olim dormientes cœperunt. Jam & tricliniarches experrectus, lucernis occidentibus oleum infuderat; & pueri, detersis paulisper oculis, redierant ad ministerium, cum intrans cymbalistria, & concrepans æra, omnes excitavit. Refectum igitur est convivium, & rursus Quartilla ad bibendum revocavit. adjuvit hilaritatem comissantis cymbalistria. * * Intrat cinædus homo omnium insulsissimus, & plane illa domo dignus, qui ut infractis manibus congemuit, ejusmodi carmina effudit:

Huc huc convenite nunc spatalocinædi,
Pede tendite, cursum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, & manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci manu recisi.

Consumptis versibus suis, immundissimo me basio conspuit: mox & super lectum venit, atque omni vi detexit recusantes. Super inguina mea diu multumque frustra moluit. Perfluebant per frontem sudantis acaciæ rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare. Non tenui ego diutius lacrymas: sed ad ultimam perductus tristitiam, Quæso, inquam, domina, certe Embasicœtam jusseras dari. Complosit illa tenerius manus, &, O, inquit, hominem acutum, atque urbanitatis vernulæ fontem! Quid? tu non intellexeras cinædum Embasicœtam vocari? Deinde ne contubernali meo melius succederet. Per fidem, inquam, vestram, Ascyltos in hoc triclinio solus ferias agit? Ita? inquit Quartilla, & Ascylto Embasicœtas detur. Ab hac voce equum cinædus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus eum basiisque distrivit. Stabat inter hæc Giton, & risu dissolvebat ilia sua. Itaque conspicata eum Quartilla, cujus esset puer diligentissima sciscitatione quæsivit. Cum ego fratrem meum esse dixissem, Quare ergo, inquit, me non basiavit? vocatumque ad se in osculum applicuit: mox manum etiam demisit in sinum, & pertracto vasculo tam rudi, Hoc,

inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ militabit: hodie enim post asellum, diaria non sumo. Cum hoc diceret, ad aurem ejus Psyche ridens accessit, & cum dixisset nescio quid, Ita, ita, inquit Quartilla, bene, admonuisti: cur non, quia bellissima occasio est, devirginetur Pannychis nostra? Continuoque producta est puella satis bella, & quæ non plus quam septem annos habere videbatur, & ea ipsa quæ primum cum Quartilla in cellam venerat nostram. Plaudentibus ergo universis, & postulantibus, nuptias fecerunt. Obstupui ego, & nec Gitona, verecundissimum puerum, sufficere huic petulantiæ adfirmavi; nec puellam ejus ætatis esse, ut muliebris patientiæ legem posset accipere. Ita, inquit Quartilla; minor est ista, quam ego fui, cum primum virum passa sum? Junonem meam iratam habeam, si umquam me meminerim virginem fuisse. nam & infans, cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Hinc etiam puto proverbium natum illud, ut dicatur, Posse taurum tollere, quæ vitulum sustulerit. Igitur ne majorem injuriam in secreto frater acciperet, consurrexi ad officium nuptiale. Jam Psyche puellæ caput involverat

flammeolo; jam Embasicœtas præferebat facem; jam ebriæ mulieres longum agmen plaudentes fecerant, thalamumque incesta exornaverant veste: Tum Quartilla jocantium quoque libidine accensa, & ipsa surrexit, correptumque Gitona in cubiculum traxit. Sine dubio non repugnaverat puer, ac ne puella quidem tristis expaverat nuptiarum nomen. Itaque, cum inclusi jacerent, consedimus ante limen thalami, & imprimis Quartilla per rimam improbe diductam applicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia. Me quoque ad idem spectaculum lenta manu traxit: & quia considerantium hæserant vultus, quidquid à spectaculo vacabat, commovebat valgiter labra, & me tanquam furtivis subinde osculis verberabat. * * Abjecti in lectis sine metu reliquam exegimus noctem. * * *Venerat jam tertius dies, id est, expectatio liberæ cœnæ. Sed tot vulneribus confossis fuga magis placebat, quam quies. Itaque, cum mœsti deliberaremus, quonam genere præsentem evitaremus procellam, unus servus Agamemnonis interpellavit trepidantes: &, Quid? vos, inquit, nescitis hodie apud quem fiat? Trimalchio lautissimus homo horologium in triclinio, & buccinatorem habet subornatum, ut subinde sciat*

quantum de vita perdiderit. Amicimur ergo diligenter, obliti omnium malorum, & Gitona libentissime servile officium tuentem usque hoc, jubemus in balneo sequi. Nos interim vestiti errare cœpimus, imo jocari magis, & circulis ludentum accedere; cum subito videmus senem calvum tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila. Nec tam pueri nos, quamquam erat operæprecium, ad spectaculum duxerant, quam ipse paterfamiliæ, qui soleatus pila *prasina* exercebatur. nec eam amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat servus, sufficiebatque ludentibus. Notavimus etiam res novas. Nam duo spadones in diversa parte circuli stabant, quorum alter matellam tenebat argenteam, alter numerabat pilas: non quidem eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabant; sed eas, quæ in terram decidebant. Cum has miraremur lautitias, *accurrit Menelaus, &, Hic est, inquit, apud quem cubitum ponetis; & quid? jam principium cœnæ videtis? Etiamnum loquebatur Menelaus, cum* Trimalchio lautissimus homo digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit. Exonerata ille vesica, aquam poposcit ad manus, digitosque paululum adspersos in capite pueri tersit. Lon-

gum erat, singula excipere. Itaque intravimus balneum, & sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Jam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. Tres interim iatraliptæ in conspectu ejus falernum *potabant: & cum plurimum rixantes effunderent, Trimalchio hoc suum propinasse dicebat.* Hinc, involutus coccina gausapa, lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus IIII, & chiramaxio, in quo deliciæ ejus *vehebantur*, puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior. Cum ergo adferretur, ad caput ejus cum minimis symphoniacis tibiis accessit, & tanquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit. Sequimur nos jam admiratione saturi, & cum Agamemnone ad januam pervenimus, *in cujus poste libellus erat, cum hac inscriptione fixus. QVISQVIS SERVVS SINE DOMINICO JVSSV FORAS EXIERIT, ACCIPIET PLAGAS CENTVM.* In aditu *autem* ipso *stabat* ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, , atque in lance argentea pisum purgabat. Super limen autem cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat. Cæterum ego dum omnia stupeo, pene resupinatus crura mea fregi.

ad

ad ſiniſtram enim intrantibus, non longè ab oſtiarii cella, canis ingens catena vinctus, in pariete erat pictus, ſuperque quadrata litera ſcriptum, CAVE CANEM. Et collegæ quidem mei riſerunt. Ego autem collecto ſpiritu, non deſtiti totum parietem perſequi. Erat autem venalitium titulis pictum, & ipſe Trimalchio capillatus caduceum tenebat, Minervaque ducente tænia intrabat. Hinc quemadmodum ratiocinari didiciſſet, dein diſpenſator factus eſſet, omnia diligenter curioſus pictor cum inſcriptione reddiderat. In deficiente vero jam porticu levatum mento in tribunal excelſum Mercurius *rapiebat*. Præſto erat Fortuna cornu abundanti copioſa, & tres Parcæ aurea penſa torquentes. Notavi etiam in porticu gregem curſorum cum magiſtro ſe exercentem. Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant Lares argentei poſiti, Veneriſque ſignum marmoreum, & pixis aurea non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant. Interrogare ego atrienſem cœpi: quas in media porticu picturas haberent? Iliada & Odyſſeam, inquit, *ac Lænatis gladiatorium munus. Non licebat multa etiam conſiderare. Nos*, jam ad triclinium *per*veneramus, in cujus parte prima procurator rationes accipiebat: &

quod præcipuè miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum imam partem quaſi embolum navis æneum finiebat, in quo erat ſcriptum, G. POMPEIO TRIMALCHIONI VI VIRO AUGUSTALI CINNAMUS DISPENSATOR. Sub eodem titulo, etiam lucerna bilychnis de camera pendebat, & duæ tabulæ in utroque poſte defixæ; quarum altera, ſi bene memini, hoc habebat inſcriptum:

III. ET PRIDIE KAL. JAN.
G. NOSTER FORAS CŒNAT.

altera Lunæ curſum, Stellarumque VII. imagines pictas; &, qui dies boni, quique incommodi eſſent, diſtinguente bulla notabantur. *His repleti voluptatibus, cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui ſuper hoc officium erat poſitus: Dextro pede. Sine dubio pauliſper trepidavimus, ne contra præceptum aliquis noſtrum tranſiret.* Cæterum, ut *pariter* movimus dextros greſſus, ſervus nobis diſpoliatus procubuit ante pedes, & rogare cœpit, ut ſe pœnæ eriperemus: nec magnum eſſe peccatum ſuum, propter quod periclitaretur. Subducta enim ſibi veſtimenta diſpenſatoris in balneo, quæ vix fuiſſent x HS. Retulimus ergo dextros pedes, diſpenſatoremque in prætorio aureos numerantem

deprecati ſumus *ut* ſervo remitteret pœnam. Superbus ille ſuſtulit vultum, &, Non tam jactura me movet, inquit, quam negligentia nequiſſimi ſervi. Veſtimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria ſine dubio, ſed jam ſemel lota. Quidquid ergo eſt, dono vobis. Obligati tam grandi beneficio, cum intraſſemus triclinium, occurrit nobis ille idem ſervus pro quo rogaveramus, & ſpiſſiſſima baſia ſtupentibus impegit, gratias agens humanitati noſtræ. Ad ſummam, ſtatim ſcietis, ait, cui dederitis beneficium. Vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt. Tandem ergo diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliiſque inſequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti ſubtilitate tollentibus. Ac ne in hoc quidem tam moleſto tacebant officio, ſed obiter cantabant. Ego experiri volui, an tota familia cantaret. Itaque potionem popoſci: paratiſſimus puer: non minus me acido cantico excepit: & quiſquis aliquid rogatus erat, ut daret. Pantomimorum non patrisfamiliæ triclinium crederes. Adlata eſt tum guſtatio valde *lauta*: Nam jam omnes diſcubuerant præter *unum* Trimalchionem, cui locus, novo more, primus ſervabatur.

Cæterum in promulſidari aſellus erat Corinthius cum biſaccio poſitus, qui habebat olivas, in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant aſellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalchionis inſcriptum erat, & argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati ſuſtinebant glires melle, & papavere ſparſos. Fuerunt & tomacula ſupra craticulam, ferventia argenteam poſita & infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali. In his eramus lautitiis, cum ipſe Trimalchio ad ſymphoniam adlatus eſt, poſituſque *inter* cervicalia minutiſſima expreſſit imprudentibus riſum. Pallio enim coccineo adraſum *excluſerat* caput, circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus. habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem ſubauratum; extremo verò articulo digiti ſequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, ſed planè ferreis veluti ſtellis ferruminatum. Et ne has tantum oſtenderet divitias, dextrum nudavit lacertum, armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina ſplendente connexum. Ut deinde ſpina argentea dentes perfodit, Amici, inquit, nondum mihi ſuave erat in triclinium venire, ſed ne diutius abſentivus *mora vobis*

essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittitis tamen finiri lusum. Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis, *ac* nigris, aureos, argenteosque habebat denarios. Interim dum ille omnium testorum *agmen* inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis, repositorium adlatum est cum orbe, in qua gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales esse solent, quæ *incubant* ova. Accessere continuo duo servi, & symphonia strepente, scrutari paleam cœperunt; erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Convertit ad hanc scænam Trimalchio vultum: &, Amici, ait, pavonis ova gallinæ jussi supponi. Et, me-Hercules, timeo, ne jam concepta sint. temptemus tamen, si adhuc sorbilia sunt. Accipimus nos cochlearia non minus sex libras pendentia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. Ego quidem pene projeci partem meam: nam videbatur mihi, jam in pullum coisse. Deinde ut audivi veterem convivam: hic nescio quid boni debet esse, persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato *vitello circumdatam*. Jam Trimalchio eadem omnia, lusu intermisso, poposcerat; feceratque potestatem, cla-

ra voce, si quis nostrum iterum vellet, mulsum sumere: cum subito signum symphonia datur, & gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur. Cæterum inter tumultum, cum forte parapsis excidisset, & puer jacentem sustulisset, animadvertit Trimalchio, colaphisque objurgare puerum, ac projicere rursus parapsidem jussit. Insecutus est supellecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere. *Subinde intraverunt duo Æthiopes capillati, cum pusillis utribus, quales solent esse, qui arenam in amphitheatro spargunt, vinumque dedere in manus, aquam enim nemo porrexit.* Laudatus propter elegantias dominus, Equum, inquit, Mars amat: itaque jussit senex suam cuique mensam adsignari; *addiditque*, Obvii & per discessum servi minorem nobis æstum sublata frequentia facient. Statim adlatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant adfixa, cum hoc titulo, FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. Dum titulos perlegimus, complosit Trimalchio manus, & *Heu*, Heu, inquit, ergo diutius vivit *vinum quam homuncio! Quare tangomenas faciamus; vita vinum est: Verum* Opimianum præsto: heri non tam bonum posui, & multo honestiores cœna-

bant. Potantibus ergo, & accuratissimas nobis lauticias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic *aptatam*, ut articuli ejus vertebræque *laxatæ* in omnem partem *verterentur*. Hanc cum super mensam semel iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adjecit:

Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro expectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repositorium enim rotundum, duodecim habebat Signa in orbe disposita, super quæ proprium convenientemq; materiæ structor imposuerat cibum: super Arietem, cicer arietinum: super Taurum, bubale frustum: super Geminos, testiculos, ac renes: super Cancrum, coronam: super Leonem, ficum Africanam: super Virginem, stericulam, super Libram, stateram, in cujus altera parte scriblita erat, in altera placenta: super *Scorpionem, pisciculum marinum*: super Sagitarium, odopetam: super Capricornum, locustam marinam: super Aquarium, anserem: super Pisces, duos

mullos. In medio autem ceſpes cum herbis exciſus favum ſuſtinebat: Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem, atque ipſe etiam teterrima voce, de lacerpitiario mimo canticum extorquet. Nos ut triſtiores ad tam viles acceſſimus cibos, ſuadeo, inquit Trimalchio, cœnemus; hoc eſt jus cœnæ. Hæc ut dixit, ad ſymphoniam IIII. tripudiantes procurrerunt, ſuperioremque partem repoſitorii abſtulerunt. quo facto, videmus infra, ſcilicet in altero ferculo, altilia, & ſumina, leporemque in medio pinnis ſubornatum, ut Pegaſus videretur. Notavimus etiam circa angulos repoſitorii Marſyas IIII. ex quorum utriculis garum piperatum currebat ſuper piſces, qui in Euripo natabant. Damus omnes plauſum à familia *inceptum*, & res electiſſimas ridentes adgredimur. Non minus & Trimalchio ejuſmodi methodio lætus, Carpe, inquit. Proceſſit ſtatim ſciſſor & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium, ut putares *eſſedarium* hydraule cantante pugnare. Ingerebat nihilominus Trimalchio lentiſſima voce, Carpe. Ego ſuſpicatus ad aliquam urbanitatem toties iteratam vocem pertinere, non erubui eum, qui ſupra me accumbebat, hoc ipſum interrogare. At ille, qui ſæpius ejuſmodi ludos ſpecta-

verat, Vides, inquit, illum qui obſonium carpit? Carpus vocatur. Itaque quotieſcumque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat, & imperat. Non potui amplius quidquam guſtare; ſed converſus ad eum, ut plurima exciperem, longe arceſſere fabulas cœpi, ſciſcitarique, quæ eſſet illa mulier, quæ huc atque illuc diſcurreret: Uxor, inquit, Trimalchionis, Fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur. Et modo quid fuit? Ignoſcet mihi Genius tuus, noluiſſes de manu *illius* panem accipere. Nunc nec quid, nec quare, in cœlum abiit, & Trimalchionis tapanta eſt. Ad ſummam, mero meridie ſi dixerit illi tenebras eſſe, credet. *Ipſe neſcit quid habeat, adeo zaplutus eſt; ſed hæc eupatria providet omnia, & , ubi non putes, eſt. Sicca, ſobria, bonorum conſiliorum. Tantum auri vides; eſt tamen malæ linguæ, pica pulvinaris: quem amat, amat; quem non amat, non amat. Ipſe Trimalchio fundos habet, quam milvi volent, nummorum nummos: argentum in hoſtiarii illius cella plus jacet quam quiſquam in fortunis habet. Familia vero babæ! babæ! non me-Hercules puto decumam partem eſſe, quæ dominum ſuum novit. Ad ſummam, quamvis ex iſtis bacelis in rutæ folium conjiciet. Nec eſt quod putes illum quidquam emere; om-*

nia domi naſcuntur: lana, creta, piper, lac gallinaceum, ſi quæſieris, invenies. Ad ſummam, parum illi bona lana naſcebatur, arietes à Tarento emit, & eos curavit in gregem. Mel atticum ut domi naſceretur, apes ab Athenis juſſit adferri. obiter ut, vernaculæ quæ ſunt, meliuſculæ à Græculis fiant. Ecce intra hos dies ſcripſit, ut illi ex India ſemen boletorum mitteretur; nam mulam quidem nullam habet, quæ non ex onagro nata ſit. Vides, tot culcitas? Nulla, non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet. Tanta eſt animi beatitudo! Reliquos autem collibertos ejus cave contemnas. valde ſuccoſi ſunt. Vides illum, qui in imo imus recumbit? hodie ſua octingenta poſſidet; de nihilo crevit: ſolebat collo modo ſuo ligna portare. Sed, quomodo dicunt, ego nihil ſcio, ſed audivi, quomodo incuboni pileum rapuiſſet, & theſaurum invenit. Ego nemini invideo, ſi qua Deus dedit; eſt tamen ſub alapa, & non vult ſibi male. Itaque proxime cum hoc titulo proſcripſit: C. POMPEIUS DIOGENES EX KALENDIS JULIIS CŒNACULUM LOCAT, IPSE ENIM DOMUM EMIT. *Quid ille, qui libertini loco jacet quam bene ſe habuit? non impropero. Ille ſeſtertium ſuum vidit decies; ſed malè vacillavit. Non puto illum capillos liberos habere; nec me-Hercules ſua culpa, ipſo*

enim homo melius non eſt; ſed liberti ſcelerati, qui omnia ad ſe fecerunt. Cito autem ſociorum olla male fervet, & ubi ſemel res inclinata eſt, amici de medio. Et quam honeſtam negotiationem exercuit, quod illum ſic vides? ecce libitinarius fuit. Solebat ſic cœnare quomodo Rex: apros gauſapatos, opera piſtoria, aves, cocos, piſtores! Plus vini ſub menſam effundebatur, quam aliquis in cella habet. Phantaſia, non homo. Inclinatis quoque rebus ſuis, cum timeret, ne creditores illum conturbare exiſtimarent, hoc titulo auctionem proſcripſit. JULIUS PROCULUS AUCTIONEM FACIET RERUM SUPERVACUARUM. *Interpellavit tam dulces fabulas Trimalchio; nam jam ſublatum erat ferculum, hilareſque convivæ vino, ſermonibuſque publicatis operam cœperant dare. Is ergo reclinatus in cubitum, Hoc vinum, inquit, vos oportet ſuave faciatis. piſces natare oportet. Rogo, me putatis illa cœna eſſe contentum, quam in theca repoſitorii videratis? ſic notus Ulyxes? quid ergo eſt? oportet etiam inter cœnandum Philologiam noſſe. Patrono meo oſſa bene quieſcant, qui me hominem inter homines voluit eſſe. Nam mihi nihil novi poteſt adferri; ſicut illi fericulo: melleam habuit praxim. Cœlus hic, in quo duodecim Dii habitant in totidem ſe figuras convertit, & modo fit Aries. Itaque quiſ-*

quis nascitur illo signo, multa pecora habet, multum lanæ: caput præterea durum, frontem expudoratam, cornu acutum. Plurimi hoc signo scholastici nascuntur, & arietini. Laudamus urbanitatem Mathematici; itaque adjecit. Deinde totus cœlus Taurulus fit. Itaque tunc calcitrosi nascuntur, & bubulci, & qui se ipsi pascunt. In Geminis autem nascuntur bigæ, & boves, & colei, & qui utrosque parietes linunt. In Cancro ego natus sum; ideo multis pedibus sto, & in mari, & in terra multa possideo. nam cancer, & hoc, & illoc quadrat: & ideo jam dudum nihil super illum posui, ne genesim meam premerem. In Leone cataphagæ nascuntur, & imperiosi. In Virgine mulieres, & fugitivi, & compediti. In Libra laniones, & unguentarii, & quicumque aliquid expediunt. In Scorpione venenarii, & percussores. In Sagittario strabones, qui holera spectant, lardum tollunt. In Capricorno ærumnosi, quibus præ mala sua cornua nascuntur. In Aquario copones, & cucurbitæ. In Piscibus obsonatores, & rhetores. Sic orbis vertitur, tanquam mola: & semper aliquid mali facit, ut homines aut nascantur, aut pereant. Quod autem in medio cespitem videtis, & super cespitem favum; nihil sine ratione facio. Terra mater est in medio, quasi ovum corrotundata: & omnia bona

in ſe habet, tanquam favus. Sophos univerſi clamamus, & ſublatis manibus ad camaram, juramus Hipparchum, Aratumque comparandos illi homines non fuiſſe; Donec advenerunt miniſtri, ac toralia propoſuerunt toris, in quibus retia erant picta, ſubſeſſoreſque cum venabulis, & totus venationis apparatus. Nec dum ſciebamus, mitteremus ſuſpiciones noſtras, cum extra triclinium clamor ſublatus eſt ingens, & ecce canes laconici etiam circa menſam diſcurrere cœperunt. Secutum eſt hos repoſitorium, in quo poſitus erat primæ magnitudinis aper; & quidem pileatus, è cujus dentibus ſportellæ dependebant duæ palmulis textæ, altera caryotis, altera Thebaicis repleta. Circa autem minores porcelli ex coptoplacentis facti, quaſi uberibus imminerent; ſcropham eſſe poſitam ſignificabant: & hi quidem apophoreta fuerunt. Cæterum ad ſcindendum aprum non ille. Carpus acceſſit, qui altilia laceraverat; ſed barbatus ingens, faſciis cruralibus adligatus, & alicula ſubornatus polymita, ſtrictoque venatorio cultro latus apri vehementer percuſſit, ex cujus plaga turdi evolaverunt. Paratì aucupes cum arundinibus fuerunt, & eos circa triclinium volitantes momento exceperunt. Inde, cum ſuum cuique juſſiſſet referri Trimalchio, adjecit: Etiam videte, quam porcus ille ſilvaticus totam comederit

glandem. Statim pueri ad ſportellas acceſſerunt, quæ pendebant è dentibus, Thebaicaſque, & caryotas ad numerum diviſere cœnantibus. Interim ego, qui privatum habebam ſeceſſum, in multas cogitationes diductus ſum, quare aper pileatus intraſſet. Poſtquam itaque omnes batologias conſumpſi, duravi interrogare illum interpretem meum, quid me torqueret. At ille: Planè etiam hoc ſervus tuus indicare poteſt. Non enim ænigma eſt, ſed res aperta. Hic aper, cum heri ſummam cœnam vindicaſſet, à convivis dimiſſus: Itaque hodie tanquam libertus in convivium revertitur. Damnavi ego ſtuporem meum, & nihil amplius interrogavi, ne viderer nunquam inter honeſtos cœnaſſe. Dum hæc loquimur, puer ſpecioſus, vitibus, hederiſque redimitus, modo Bromium, interdum Lyæum, Evhyumque confeſſus, calathiſco uvas circumtulit, & poëmata domini ſui acutiſſima voce traduxit; ad quem ſonum converſus Trimalchio: Dionyſe, inquit, liber eſto. Puer detraxit pileum apro, capitique ſuo impoſuit. Tum Trimalchio rurſus adjecit: Non negabitis me, inquit, habere Liberum patrem. Laudavimus dictum Trimalchionis, & circumeuntem puerum ſanè perbaſiamus. Ab hoc ferculo Trimalchio ad laſanum ſurrexit. Nos libertatem ſine tyranno nacti, cœpimus invitare convivarum ſermones.

Clamat itaque primus, cum patera acina poposcisset, Dies, inquit, nihil est; dum versas te, nox fit: itaque nihil est melius, quam de cubiculo recta in triclinium ire. Et mundum frigus habuimus. vix me balneum calfecit; tamen calda potio vestiarius est. Staminarias duxi, & planè matus sum; vinum mihi in cerebrum abiit. Excepit Seleucus fabulæ partem: Et ego, inquit, non quotidie lavor; Balaniscus enim fullo est. Aqua dentes habet, & cor nostrum quotidie liquescit; sed, cum mulsi pultarium obduxi, frigori lœcos indico; Nec sanè lavare potui, fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit: modò, modò me appellavit: videor mihi cum illo loqui. Hei est, Hei! Vtres inflati ambulamus, minores quàm muscæ sumus; tamen aliquam virtutem habent: nos non pluris sumus, quàm bullæ. Et quid si non abstinax fuisset? quinque dies aquam in os suum non conjecit, non micam panis, tamen abiit. At plures medici illum perdiderunt, imo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est, quàm animi consolatio. tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis; planctus est optimè, manumisit aliquot, etiamsi malignè illum ploravit uxor. Quid si non illam optimè accepisset? sed mulier, milvinum genus. nemini nihil boni facere oportet, æquè

est enim ac si in puteum conjicias. sed antiquus amor carcer est. Molestus fuit Phileros, qui proclamavit, Vivorum meminerimus: ille habet, quod sibi debebatur: honestè vixit, honestè obiit. quid habet quod queratur? ab asse crevit, & paratus fuit quadrantem de stercore mordicus tollere. Itaque crevit, quidquid crevit, tanquam favus. Puto me-Hercules illum reliquisse solidum centum, & omnia in nummis habuit. De re tamen ego verum dicam, qui linguam caninam comedi. Duræ buccæ fuit, linguosus, discordia, non homo. Frater ejus fortis fuit, amicus amico, manu uncta, plena mensa. Et inter initia malam parum pilavit. Sed recorrexit costas illius prima vindemia; vendidit enim vinum quantum ipse voluit: &, quod illius mentum sustulit, hæreditatem accepit, ex qua plus involavit, quam illi relictum est. Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terræ filio patrimonium legavit. Longe fugit, quisquis suos fugit. Habuit autem oricularios servos, qui illum pessum dederunt. Nunquam autem rectè faciet, qui citò credit; *utique homo negotians. tamen verum, quod frunitus est, quam diu vixit: cui datum est, non cui destinatum. Planè fortunæ filius, in manu illius plumbum aurum fiebat. Facile est autem, ubi omnia quadrata currunt. Et quot putas illum annos secum*

vixisse? septuaginta, & supra. sed corneolus fuit, ætatem bene ferebat, niger tanquam corvus. Noveram hominem olim olearium; & adhuc salax erat; non me-Hercules illum puto in domo canem reliquisse. Imo etiam puellarius erat; omnis Minervæ homo: nec improbo: hoc solum enim secum tulit. Hæc Phileros dixit; ista Ganymedes: Narrat is, quod nec ad cœlum, nec ad terram pertinet; cum interim nemo curat, quid annonam arctet. Non me-Hercules hodie buccam panis invenire potui. Et quomodo? siccitas perseverat. jam annum esurio. Ædilibus male eveniat, qui cum pistoribus colludunt: serva me, servabo te. Itaque populus minutus laborat; nam isti majores maxillæ semper Saturnalia agunt. O si haberemus illos leones, quos ego hîc inveni, cum primùm ex Asia veni! Illud erat vivere. Similia Sicilia interior. sed larvas sic istas peritè aptabant, ut illis Jupiter iratus esset. Memini Safinium, tunc habitabat ad arcum veterem me puero, piper, non homo. Is quacumque ibat terram adurebat; sed rectus, sed certus, amicus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare. In curia autem quomodo? singulos velut pilas tractabat. nec schemas loquebatur, sed dilectum ceu ageret. Porrò, in foro, sic illius vox crescebat, tanquam tuba; nec sudavit unquam, nec exspuit. Puto eum,

nescio quid Asiatici habuisse. Et quam benignus resalutare, nomina omnium reddere, tanquam unus de nobis. Itaque illo tempore annona pro luto erat. Asse panem quem emisses non potuisses cum altero devorare; nunc oculum bubulum vidi majorem. Hei, Hei quotidie pejus hæc Colonia retroversus crescit, tanquam coda vituli. Sed quare? non habemus ædilem trium caunearum: qui sibi mavult assem, quàm vitam nostram. Itaque domi gaudet: plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. Jam scio unde acceperit denarios mille aureos; sed, si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret. Nunc populus est, Domi leones, foras vulpes. Quod ad me attinet jam pannos meos comedi, & si perseverat hæc annona, casulas meas vendam. Quid enim futurum est, si nec Dii, nec homines ejus coloniæ miserentur? Ita meos fruniscar, ut ego puto omnia illa ædilibus fieri. Nemo *enim* cœlum *cœlum* putat, nemo *jejunium* servat, nemo Jovem *pili* facit; sed omnes opertis oculis bona sua computant. *Antea stolatæ ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris, & Jovem aquam exorabant; itaque statim urceatim pluebat, aut tunc, aut numquam: & omnes ridebant. Nunc Dii tanquam mures! Itaque Dii pedes lanatos habent. quia*

nos religiosi non sumus, agri jacent. Oro te, inquit Echion centenarius, melius loquere. Modo sic, modo sic, inquit rusticus; varium porcum perdiderat. quod hodie non est, cras erit, sic vita truditur. *Non me-Hercules patria melior dici posset, si homines haberet; sed laborat hoc tempore, nec hoc sua. non debemus delicati esse: ubique medius cœlus est. Tu, si alibi fueris, dices hîc porcos coctos ambulare. Et ecce habituri sumus munus excellens inter duo, die festa, familia non lanistitia, sed plurimi liberti. Et Titus noster magnum animum habet, & est caldior, ebrius; aut hoc, aut illud erit: quod utique: nam illi domesticus sum. non est mixias. Ferrum optimum daturus est, sine fuco; carnarium in medio, ut amphitheatrum videat: & habet unde. Relictum est illi sestertium trecenties; decessit illius pater. Male ut quadringenta impendat non sentiet patrimonium illius, & sempiterno nominabitur. Jam mannos aliquot habet, & mulierem essedariam, & dispensatorem Glyconis, qui deprehensus est, cùm dominam suam delectaret. videbis populi rixam inter zelotypos, & amasiunculos. Glyco autem, sestertiarius homo, dispensatorem ad bestias dedit. Hoc est, se ipsum traducere. Quid servus peccavit, qui coactus est facere? Magis illa matella digna fuit, quàm taurus jactaret.*

Sed qui asinum non potest, stratum cædit. Quid autem Glycon putabat Hermogenis filiam unquam bonum exitum facturam? Illo milvo volanti poterat ungues resecare. Colubra restem non parit. Glyco, Glyco, dedit suos! itaque, quamdiu vixerit, habebit stigmam, nec illam nisi Orcus delebit. sed sibi quisque peccat. Sed subolfacio, quod nobis epulum daturus est Mammea; binos denarios mihi, & meis. Quod si hoc fecerit, eripiat Norbano totum favorem: scias oportet, plenis velis hunc vincturum. Et revera, quid ille nobis boni fecit? Dedit gladiatores sestertiarios, jam decrepitos, quos si sufflasses cecidissent; jam meliores bestiarios vidi. occidit de lucerna equites. putares eos gallos gallinaceos: alter gurdus atta, alter loripes: tertiarius, mortuus prò mortuo, qui habuit nervia præcisa. Vnus alicujus staturæ fuit Thrax., qui & ipse ad dictata pugnavit; ad summam, omnes postea secti sunt, adeo de magna turba ac hebete accesserant, planè fugæ meræ. Munus tamen, inquit, tibi dedi. Et ego tibi plodo. Computa, & tibi plus do, quam accepi. manus manum lavat. Videris mihi Agamemnon dicere: Quid iste argutat molestus? Quia tu, qui potes loqui, non loquere. Non es nostræ fasciæ, & ideo pauperum verba derides. Scimus te præ literis fatuum esse. Quid ergo est? Aliqua

me te persuadeam, ut ad villam venias, & videas casulas nostras; inveniemus quod manducemus: pullum, ova. Belle erit; etiamsi hoc anno omnia tempestas dissipare paravit. Inveniemus ergo unde saturi fiamus. Etiam tibi discipulus crescit Cicaro meus, jam quatuor partis dicit; si vixerit habebis ad latus servulum. Nam, quidquid illi vacat, caput de tabula non tollit: ingeniosus est, & bono filo, etiamsi in nave morbosus est. Ego illi jam, tres cardueles occidi, & dixi, quod mustela comedit; invenit tamen alias nervias; & libentissimè pingit. Cæterum jam Græculis calcem impingit, & Latinas cœpit non male appetere, etiamsi magister ejus sibi placens sit. Nec uno loco consistit, sed venit, dem literas, sed non vult laborare. Est & alter, non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet, quàm scit. Itaque feriatis diebus solet domum venire, & quidquid dederis contentus est. Emi ergo nunc puero aliquot libros rubricatos, quia volo illum, ad domus rationem, aliquid de jure gustare. Habet hæc res panem. Nam literis satis inquinatus est; quod si resilierit, destinavi illum artificium docere, aut tonsorium, aut præconem, aut certè causidicum, quod illi auferre non possit nisi Orcus. Ideo illi quotidie clamo: Primigeni, crede mihi, quidquid discis tibi discis. Vides Phileronem causi-

dicum, si non didicisset hodie famem à labris non abigeret. Modò, modò collo suo circumferebat onera venalia: nunc etiam adversus Norbanum se extendit. Literæ thesaurum est, & artificium nunquam moritur. Ejusmodi fabulæ vibrabant, cum Trimalchio intravit, & detersa fronte unguento, manus lavit, spatioque minimo interposito: Ignoscite mihi (inquit) amici, multis jam diebus venter mihi non respondit: nec medici se inveniunt. profuit mihi tamen malicorium, & tæda, ex aceto. Spero tamen jam ventrem pudere, ni sibi imponit; alioquin circa stomachum mihi sonat, putes taurum. Itaque, si quis vestrum voluerit sua re causa facere, non est, quod illum pudeat. Nemo nostrum solidè natus est. Ego nullum puto tam magnum tormentum esse, quam continere. Hoc solum vetare, ne Jovis potest. Rides Fortunata? quæ soles me nocte desomnem facere. Nec tamen in triclinio ullum vetui facere, quod se juvet. Et medici vetant continere; vel, si quid plus venit, omnia foras parata sunt: aqua, lasanum, & cætera minutalia. credite mihi anathymiasis si in cerebrum it, in toto corpore fluctum facit. Multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum dicere. Gratias agimus liberalitati, indulgentiæque ejus, & subinde castigamus crebris potiunculis risum. Nec adhuc scie-

bamus nos in medio lautitiarum, quod aïunt, clivo laborare. Nam tum mundatis ad symphoniam mensis tres albi sues in triclinium adducti sunt, capistris & tintinnabulis culti, quorum unum bimum nomenculator esse dicebat, alterum trimum, tertium verò jam senem. Ego putabam petauristarios intrasse, & porcos, sicut in circulis mos est, portenta aliqua facturos. Sed Trimalchio expectatione discussa: Quem, inquit, ex eis vultis in cœnam statim fieri? Gallum enim gallinaceum, phasiacum, & ejusmodi nænias rustici faciunt: mei coci etiam vitulos æno coctos solent facere. Continuóque cocum vocari jussit, & non expectata electione nostra maximum natu jussit occidi: & clara voce. Ex quota decuria es? cùm ille ex quadragesima respondisset: Emptitius an, inquit, domi natus es? Neutrum, inquit cocus, sed testamento Pansæ tibi relictus sum. Vide ergo, ait, ut diligenter ponas; si non, te jubebo in decuriam viatorum conjici. Et quidem cocum potentiæ admonitum in culinam obsonium duxit. Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit: Et vinum, inquit, si non placet mutabo, vos illud oportet bonum faciatis. Deorum beneficio non emo, sed nunc quidquid ad salivam facit in suburbano nascitur eo, quod ego adhuc non novi. Dicitur confine esse Taracinensibus, & Tarentinis;

nunc conjungere agellis Siciliam volo, ut cùm Africam libuerit ire, per meos fines navigem. Sed narra tu mihi Agamemnon, quam controversiam hodie declamasti. Ego autem si causas non ago, in divisione tamen literas didici, & ne mi putes studia fastidita, tres bibliothecas habeo, unam Græcam, alteras Latinas. Dic ergo, si me amas, peristasin declamationis tuæ. Cùm dixisset Agamemnon. Pauper, & dives inimici erant; ait Trimalchio, Quid est pauper? Vrbane, inquit Agamemnon, & nescio quam controversiam exposuit. Statim Trimalchio: Hoc, inquit, si factum est, controversia non est; si factum non est, nihil est. Hæc, aliaque cum effusissimis prosequeremur laudationibus, Rogo, inquit, Agamemnon mihi carissime, numquid duodecim ærumnas Herculis tenes, aut de Vlyxe fabulam, quemadmodum illi Cyclops pollicem penicillo extorsit? Solebam hæc ego puer apud Homerum legere. Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere; & cùm illi pueri dicerent, Sibylla ti thelis? respondebat illa, opothanin thelo. Nondum efflaverat omnia, cùm repositorium cum sue ingenti mensam occupavit. Mirari nos celeritatem cœpimus, & jurare ne gallum quidem gallinaceum tam cito percoqui potuisse; tanto quidem magis, quod longe major nobis porcus vi-

cus vi-

eus videbatur esse, quàm paulo ante aper fuerat. Deinde magis, magisque Trimalchio intuens eum: Quid? Quid, inquit, porcus hic non est exenteratus? Non me-Hercules est. Voca, voca cocum in medio. Cum constitisset ad mensam cocus tristis, & diceret se oblitum esse exenterare. Quid oblitus? Trimalchio exclamat: putes illum piper, & cuminum non conjecisse? despolia. Non fit mora: despoliatur cocus, atque inter duos tortores mæstus consistit. Deprecari tamen omnes cœperunt, & dicere · Solet fieri, rogamus mittes, postea si fecerit nemo nostrum pro illo rogabit. Ego crudelissimæ severitatis non potui me tenere, sed inclinatus ad aurem Agamemnonis: Planè, inquam, hic debet servus esse nequissimus; aliquis oblivisceretur porcum exenterare non me-Hercules illi ignoscerem, si piscem præterisset. At non Trimalchio, qui relaxato in hilaritatem vultu: Ergo, inquit, quia tam malæ memoriæ es, palam nobis illum exentera. Recepta cocus tunica cultrum arripuit, porcique ventrem hinc, atque illinc timida manu secuit. Nec mora, ex plagis ponderis inclinatione crescentibus, tomacula cum botulis effusa sunt. Plausum, post hoc automatum familia dedit, & Gajo feliciter conclamavit: nec non cocus potione oneratus est, etiam argentea corona, poculumque in lance accepit Corinthia, quam

cum Agamemnon propius consideraret, ait Trimalchio: Solus sum, qui vera Corinthia habeam. Expectabam, ut pro reliqua insolentia diceret, sibi vasa Corintho adferri. Sed ille meliùs: Et forsitan, inquit, quæris quare solus Corinthia vera possideam? quia scilicet ærarius, à quo emo, Corinthus vocatur; quid est autem Corinthium, nisi quis Corinthum habeat? Et, ne me putetis nesapium esse, valde bene scio, unde primum Corinthia nata sint. Cùm Ilium captum est, Annibal homo vafer, & magnus scelero omnes statuas æneas, & aureas, & argenteas in unum rogum congessit, & eas incendit; factæ sunt in unum æra miscellanea. Ita ex hac massa fabri sustulerunt, & fecerunt catilla, & paropsides, statuncula. Sic Corinthia nata sunt ex omnibus in unum nec hoc, nec illud. Ignoscetis mihi qui dixero: ego malo mihi vitrea. certè nolunt. Quod si non frangerentur, mallem mihi quàm aurum; nunc autem vilia sunt. Faber fuit, qui vitrea vasa fecit tenacitatis tantæ, ut non magis, quàm aurea vel argentea, frangerentur. Cùm ergo phialam hujusmodi de vitro purissimo, & solo, ut putabat, dignam Cæsare fabricasset, cum munere suo, Cæsarem adiens admissus est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata devotio donantis. Faber, ut admirationem intuentium

verteret in ſtuporem, & ſibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eamque validiùs projecit in pavimentum tanto impetu, ut nec ſolidiſſima & conſtantiſſima æris materia maneret inlæſa. Cæſar autem ad hæc non magis ſtupuit, quam expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam; quæ quidem non fracta erat, ſed conliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde martiolum de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſimè, & tanquam conliſum vas æneum crebris ictib. reparavit. Quo facto ſe cœlum Jovis tenere arbitratus eſt, eò quòd familiaritatem Cæſaris & admirationem omnium ſe promeruiſſe, credebat. Sed ſecus accidit. Quæſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc conditùram vitrorum? Quod cùm negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens: quia ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent quaſi lutum. Fuit tamen faber qui fecit phialam vitream, quæ non frangebatur. Admiſſus ergo Cæſarem eſt cum ſuo munere. deinde fecit reporrigere Cæſarem, & illam in pavimentum projecit. Cæſar non pote validiùs, quàm expaverit; at ille ſuſtulit phialam de terra: conliſa erat, tanquam vaſum æneum. Deinde martulum de ſinu protulit, & phialam otio belle correxit; hoc facto putabat ſe cœlum Jovis tenere.

Vtique, postquam illi dixit. Numquid alius scit hanc condituram vitreorum? Vide modò. Postquam negavit, jussit illum Cæsar decollari; quia enim si scitum esset, aurum pro luto haberemus. In argento planè studiosus sum. Habeo scyphos urnales plus minus, quemadmodum Cassandra occidit filios suos, & pueri mortui jacent sic, uti verè putes. Habeo capidem, quam reliquit patronus meus, ubi Dædalus Nioben in equum Trojanum includit. Nam Hermerotes signa essent veritatis in poculis. Habeo omnia ponderosa; meum enim intelligere nulla pecunia vendo. Hæc dum refert, puer calicem projecit; ad quem respiciens Trimalchio: Cito, inquit, te ipsum cæde, quia nugax es. statim puer demisso labro orare. At ille, Quid me, inquit, rogas? tanquam ego tibi molestus sim: suadeo à te impetres, ne sis nugax. Tandem ergo exoratus à nobis missionem dedit puero. Ille dimissus circa mensam percucurrit, &, Aquam foras, vinum intro clamavit. Excipimus urbanitatem jocantis, & ante omnes Agamemnon, qui sciebat, quibus meritis revocaretur ad cœnam. Cæterùm laudatus Trimalchio, hilarius bibit. Etiam ebrio proximus, nemo, inquit, vestrùm rogat Fortunatam meam, ut saltet? credite mihi, cordacem nemo melius ducit. Atque ipse erectis supra frontem manibus Sy-

ram histrionem exhibebat, concinente tota familia: Ma Dia perite! ma Dia. & prodisset in medium, nisi Fortunata ad aurem accessisset: &, credo, dixerit non decere gravitatem ejus tam humiles ineptias. Nihil autem tam inæquale erat: nam modò Fortunatam suam reverebatur, modò ad naturam. Et planè interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tanquam Vrbis acta recitavit. VII. *Kal. Sextiles in prædio Cumano, quod est Trimalchionis, nati sunt pueri* XXX. *puellæ* XL. *sublata in horreum, ex area, tritici millia modium quingenta: boves domiti quingenti. Eodem die Mithridates servus in crucem actus est quia Gai nostri genio maledixerat. Eodem die in arcam relatum est quod collocari non potuit, sestertium centies. Eodem die incendium factum est in hortis Pompejanis, ortum ex ædibus nocte villici. Quid? inquit Trimalchio: Quando mihi Pompejani horti empti sunt? Anno priore, inquit actuarius, & ideo in rationem nondum venerunt. Excanduit Trimalchio: &, Quicumque, inquit, mihi fundi empti fuerint, nisi intra sextum mensem sciero, in rationes meas inferri veto. Iam etiam edicta Ædilium recitabantur: & saltuariorum testamenta, quibus Trimalchio cum elogio exheredabatur: jam nomina villicorum: & repudiata à*

*circumitore liberta, in balneatoris contubernio deprehensa: atriensis Bajas relegatus: jam reus factus dispensator: & judicium inter cubicularios actum. Petauristarii autem tandem venerunt: baro insulsissimus cum scalis constitit, puerumque jussit per gradus, & in summa parte odaria saltare; circulos deinde ardentes transire, & dẽtibus amphoram sustinere. Mirabatur hæc solus Trimalchio dicebatque ingratum artificium esse. Cæterùm duo esse in rebus humanis, quæ libentissimè spectaret, petauristarios, & coturnices: reliqua animalia & oramata tricas meras esse. Nam & comœdos, inquit, emeram, & malui illos Atellanam facere, & choraulem meum jussi Latinè cantare. Cùm maxime hæc dicente Gajo * puer Trimalchionis delapsus est. Conclamavit familia, nec minùs convivæ, non propter hominem tam putidum cujus etiam cervices fractas libenter vidissent, sed propter malum exitum cœnæ ne necesse haberent alienum mortuum plorare. Ipse Trimalchio cùm graviter ingemuisset, superque brachium tanquam læsum incubuisset, concurrere medici, & inter primos Fortunata crinibus passis, cum scypho, miseramque se, atque infelicem proclamavit. Nam puer quidem, qui ceciderat circumibat jamdudùm pedes nostros, & missionem rogabat. Pessimè mihi erat, ne his precibus*

periculo aliquid catastrophæ quæreretur. Nec enim adhuc exciderat cocus ille, qui oblitus porcum exenterare. Itaque totum circumspicere triclinium cœpi, ne per parietem automaton aliquod exiret; utique postquam servus verberari cœpit, qui brachium domini contusum alba potiùs quàm conchyliata involverat lana. Nec longè aberravit suspicio mea, in vicem enim cœnæ venit decretum Trimalchionis, quo puerum jussit liberum esse, ne quis posset dicere, tantum virum esse à servo læsum. Comprobamus nos factum, & *quàm in præcipiti res humanas essent* vario sermone garrimus. *Ita, inquit Trimalchio, non oportet hunc casum sine inscriptione transire; statimque codicillos poposcit, & non diu cogitatione distorta hæc recitavit:*

Quod non expectes ex transverso fit,
Et super nos fortuna negotia curat.
Quare da nobis vina falerna puer.

Ab hoc Epigrammate cœpit Poëtarum esse mentio, diuque summa carminis penes Mopsum Thracem memorata est; donec Trimalchio: Rogo, inquit, magister, quid putas inter Ciceronem, & Publium interesse? Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Quid enim his melius dici potest?

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia.
Tuo palato clausus pavo pascitur,

Plumato amictus aureo Babylonico;
Gallina tibi Numidica, tibi gallus ſpado,
Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tribacca Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in ſtrato extraneo?
Smaragdum ad quam rem, viridem, pretioſum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Niſi ut ſcintillent? probitas eſt carbunculos.
Æquum eſt inducere nuptam ventum textilem,
Palam proſtare nudam in nebula linea?

Quod autem, inquit, putamus ſecundum litteras difficillimum eſſe artificium? Ego puto medicum, & nummularium. medicus, qui ſcit quid homunciones intra præcordia ſua habeant, & quando febris veniat. Etiamſi illos odi peſſimè, qui mihi jubent ſæpe anatinam parari. nummularius, qui per argentum æs videt. Nam mutæ beſtiæ laborioſiſſimæ boves, & oves: boves, quorum beneficio panem manducamus:

oves, quia lana illæ nos gloriosos faciunt. Et facinus indignum! aliquis ovillam est, & tunicam habet. Apes *enim ego divinas bestias puto, quæ mel vomunt, etiamsi dicuntur illud à Jove afferre;* ideo *autem* pungunt, quia ubicumque dulce est, ibi & acidum invenies. *Jam etiam Philosophos de negotio dejiciebat, cum pittacia in scypho circumferri cœperunt. Puerque super hoc positus officium apophoreta recitavit: Argentum sceleratum: adlata est perna, supra quam acetabula erant posita, cervical, offla, colaris. Adlata est serisapia, & contumelia ærophagiæ, simul datæ sunt & cenchrydes cum malo, porri, & persica, flagellum & cultrum. accepit passeres & muscarium, uvam passam, & mel Atticum, cœnatoria & forensia, offlam, & tabulas: accepit canalem, & pedale: lepus. & solea est adlata: murænam, & littoralem murem cum rana adligatum, fascemque betæ, diu risimus: sexcenta hujusmodi fuerunt, quæ jam ceciderunt memoriæ meæ. Cæterùm Ascyltos intemperantis licentiæ, cùm omnia sublatis manibus eluderet, & usque ad lacrumas rideret, unus ex conlibertis Trimalchionis excanduit, is ipse, qui supra me discumbebat: & , Quid rides, inquit, berbex? an tibi non placent lautitiæ domini mei? tu enim beatior es: & convi-*

vare meliùs ſoles. Ita tutelam hujus loci habeam propitiam, ut ego, ſi ſecundum illum diſcumberem, jam illi alapam dum duxiſſem. Bellum pomum, qui rideat alios. lariſuga neſcio quis nocturnus, qui non valet lotium ſuum. ad ſummam, ſi circumminxero illum, neſciet qua fugiat. Non me-Hercule ſoleo citò fervere, ſed in molli carne vermes naſcuntur. Ridet. quid habet, quòd rideat? Numquid pater fœtum emit? Lamia, eques Romanus es. & ego Regis filius. Quare ergo ſerviviſti? quia ipſe me dedi in ſervitutem, & malui civis Romanus eſſe, quàm tributarius: & nunc ſpero me ſic vivere, ut nemini jocus ſim. Homo inter homines ſuos capite aperto ambulo: aſſem ærarium nemini debeo. conſtitutum habui nunquam: nemo mihi in foro dixit. Redde quod debes. Glebulas emi, lamellulas paravi: viginti ventres paſco, & canem: contubernalem meam redemi, ne quis in illas manus tergeret: mille denarios pro capite ſolvi: Sevir gratis factus ſum: ſpero ſic moriar, ut mortuus non erubeſcam. tu autem tam laborioſus es, ut poſt te non reſpicias? in alio pediculum vides, in te ricinum non vides? tibi ſoli ridiculi videmur? Ecce magiſter tuus, homo major natu; placemus illi: tu lacticuloſus, nec mu nec ma argutas? vaſus fictilis, imò lorus in aqua,

lentior non melior. tu beatior es? bis prande, bis cœna. Ego fidem meam malo, quàm thesauros. ad summam; quisquam me bis poposcit? Annis quadraginta servivi, nemo tamen scit, utrum servus essem, an liber; & puer capillatus in hanc coloniam veni: adhuc Basilica non erat facta. Dedi tamen operam, ut domino satisfacerem, homini malisto & dignitoso, cujus pluris erat unguis, quàm tu totus es: & habebam in domo, qui mihi pedem opponerent hac, illac, tamen (genio illius gratias) enatavi. Hæc est vera: athletam in ingenuum nasci tam facile est, quam accede istoc. Quid nunc stupes, tanquam hircus mercurialia?

Post hoc dictum Giton, qui ad pedes stabat, risum jam diu compressum etiam indecenter effudit; quod cùm animadvertisset adversarius Ascylti, flexit convitium in puerum: &, Tu autem, inquit, etiam tu rides cæpa cirrata? O Saturnalia! Rogo, mensis December est? Quando vicesimam numerasti? Quid faciat crucis offla? corvorum cibaria. Curabo jam tibi Jovis iratus sit, & isti, qui tibi non imperat. Ita satur pane fiam, ut ego istud conliberto meo dono; alioquin jam tibi depræsentiarum reddidissem. Bene nos non habemus, aut isti Getæ, qui tibi non imperant. plane, qualis dominus talis & servus: Vix me teneo; &

ſum natura caldus : cicera jus cùm cepi matrem meam dupondii non facio. Rectè; videbo te in publicum : mus, imo terræ tuber. Nec ſurſum nec deorſum creſcam, niſi dominum tuum iu rutæ folium conjecero : nec tibi parſero, licet me-Hercules Jovem Olympium clames : curabo longe tibi ſit comula iſta betalis, & dominus dupondiarius, Rectè venires ſub dentem; aut ego non me novi, aut non deridebis licet barbam auream habeas. Sagana tibi irata ſit curabo, & qui te primus condoceſecit : non didici geometricas, criticas, & alogus nænias, ſed lapidarias ſcio, partes centum dico, ad æs, ad pondus, ad nummum, ad ſummam : ſi quid vis, ego & tu, ſponſiunculam ecce defero, Lamia. Jam ſcies patrem tuum mercedes perdidiſſe; quamuis & Rhetoricam ſcio. Ecce quidem nobis longe nemo : latè venio. Solve me, dicam tibi, qui de nobis currit, & de loco non movetur : qui de nobis creſcit, & minor fit. Curris, ſtupes, ſatagis, tanquam mus in matella. Ergo aut tace, aut meliorem noli moleſtare, qui te natum non putat; niſi ſi me judicas anulos buxeos curare, quos amicæ tuæ involaſti. Occuponem propitium! eamus in forum, & pecunias mutuemur. jam ſcies hoc ferrum ſidem habere. Vah! bella res eſt volpis uda. ita lucrum faciam, & ita bene moriar,

lent populus per exitum meum juret, nisi te toga ubique perversa fuero persecutus. Bella res & iste, qui te hæc docet, mustum non magister. didicimus; dicebat enim magister, sunt vestra: Salve, recta domum, cave circumspicias, cave majorem maledicas, aut numeres mapalia. Nemo dupondium evadit. Ego, quod me sic vides, propter artificium meum Diis gratias ago. Cœperat Ascyltos respondere convitio, sed Trimalchio delectatus conliberti eloquentia: Agite, inquit, scordalias de medio; suaviter sit potiùs, & tu Hermeros parce adolescentulo: sanguen illi fervet, tu melior esto. Semper hac in re qui vincitur, vincit. *Et tu, cùm esses capo, coco, coco. atque cor non habeas, Simus ergo, quod melius est, apprime hilares, & Homeristas speremus. Intravit factio statim, hastisque scuta concrepuit: ipse Trimalchio in pulvino consedit, & cùm Homeristæ Græcis versibus colloquerentur, ut insolenter solent, ille canora voce Latinè legebat librum. Mox silentio facto. Scitis, inquit, quam fabulam agant? Diomedes, & Ganymedes duo fratres fuerunt: horum soror erat Helena. Agamemnon illam rapuit, & Dianæ cervam subjecit. Ita nunc Homerus dicit, quemadmodum inter se pugnent Trojani, & Parentini. Vicit scilicet, & Iphigeniam filiam*

ſuam Achilli dedit uxorem; ob eam rem Ajax inſanit, & ſtatim argumentum explicabit. Hæc ut dixit Trimalchio, clamorem Homeriſtæ ſuſtulerunt, interque familiam diſcurrentem vitulus in lance decumana elixus adlatus eſt, & quidem galeatus. Secutus eſt Ajax, ſtrictoque gladio, tanquam inſaniret, concidit, ac modò verſa, modò ſupina, geſticulatus mucrone fruſta collegit, mirantibuſque vitulum partitus eſt. Nec diu mirari licuit tam elegantes ſtrophas, nam repente lacunaria ſonare cœperunt, totumque triclinium intremuit. Conſternatus ego exſurrexi, & timui ne per tectum petauriſtarius aliquis deſcenderet: nec minùs reliqui convivæ mirantes erexere vultus, expectantes quid novi de Cœlo nuntiaretur. Ecce autem diductis lacunaribus ſubitò circulus ingens, de cupa videlicet grandi excuſſus dimittitur, cujus per totum orbem coronæ aureæ, cum alabaſtris unguenti pendebant. Dum hæc apophoreta jubemur ſumere, reſpiciens ad menſam, jam illic repoſitorium cum placentis aliquot erat poſitum, quod medium Priapus à piſtore factus tenebat, gremioque ſatis amplo omnis generis poma, & uvas ſuſtinebat, more vulgato. Avidiùs ad pompam manus porreximus, & repente nova ludorum remiſſio hilaritatem hîc refecit. Omnes enim

placentæ, omniaque poma, etiam minima vexatione contacta, cœperunt effundere crocum, & usque ad nos molestus humor accedere. Rati ergo sacrum esse ferculum tam religioso apparatu perfusum, consurreximus altiùs, & Augusto patri patriæ Feliciter diximus: quibusdam tamen, etiam post hanc venerationem poma rapientibus, & ipsas mappas implevimus. Ego præcipuè, qui nullo satis amplo munere putabam me onerare Gitonis sinum. Inter hæc, tres pueri candidas succincti tunicas intraverunt: quorum duo Lares bullatos super mensam posuerunt: unus pateram vini circumferens, Dii propitii, clamabat. Aiebat autem unum Cerdonem, alterum Felicionem, tertium Lucronem vocari. Nos etiam veram imaginem ipsius Trimalchionis, cùm jam omnes basiarent, erubuimus præterire.

Postquam ergo omnes, bonam mentem, bonamque valetudinem sibi optarunt, Trimalchio ad Nicerotem respexit: & Solebas, inquit, suavis esse in convictu; nescio quid nunc taces, nec mutis. Oro te, sic felicem me videas, narra illud quod tibi usu venit. Niceros delectatus affabilitate amici: Omne me, inquit, lucrum transeat, nisi jam dudum gaudimonio dissilio, quod te talem video. Itaque hilaria mera sint, etsi timeo istos scholasticos, ne rideant. Viderit

Narrabo tamen, quid enim mihi aufert, qui ridet? Satius est rideri, quàm derideri.

Hæc ubi dicta dedit ——

talem fabulam exorsus est. Cùm adhuc servirem, habitabamus in vico angusto (nunc Gavillæ domus est) ibi, quomodo Dii volunt, amare cœpi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum basiballum. Sed ego non me-Hercules corporaliter, aut propter res venerias curavi; sed magis, quòd bene morata fuit. Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum fuit: assem, semissem habui, in illius sinum demandavi; nec unquam fefellit usum. Hujus contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum, per ocream ego agitavi quemadmodum ad illam pervenirem: in angustiis autem amici apparent. Fortè dominus Capuam exierat ad scruta scitè expedienda. Nactus ego occasionem, persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum milliarium veniat: erat autem miles fortis tanquam Orcus. Apocalemus nos circa gallicinia, (Luna lucebat tanquam meridie) venimus inter monimenta. Homo meus cœpit ad stellas facere, sed ego cantabundus & stellas numero. deinde ut respexi ad comitem, ille exuit se, omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi in animo, in

naso esse: stabam tanquam mortuus. at ille circumminxit vestimenta sua, & subitò lupus factus est. Nolite me jocari putare; ut mentiar; nullius patrimonium tanti facio; sed quod cœperam dicere, postquam lupus factus est, ululare cœpit, & in silvas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem: deinde accessi ut vestimenta ejus tollerem, illa autem lapidea facta sunt, Qui mori timore, nisi ego? Gladium tamen strinxi, & matavita tau umbras cæcidi, donec ad villam amicæ meæ pervenirem. Ibi januam intravi: pene animam ebullivi: sudor mihi per bifurcum colabat: oculi mortui: vix unquam refectus sum. Melissa mea mirari cœpit, quòd tam serò ambularem: &, Si ante, inquit, venisses, saltem nobis adjutasses; lupus enim villam intravit, & omnia pecora: tanquam lanius sanguinem illis misit. nec tamen derisit, etiamsi fugit; servus enim noster lancea collum ejus trajecit. Hæc ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara huc nostri domum fugi, tanquam copo compilatus: & postquam veni in illum locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem. Vt verò domum veni, jacebat miles meus in lecto, tanquam bovis, & collum illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse, nec postea cum illo panem

gustare potui; non si me occidisses. Viderint, qui hoc de aliter in opinione sunt: ego si mentior, Genios vestros iratos habeam.

Attonitis admiratione universis: Salvo, inquit, tuo sermone, Trimalchio, si qua fides est, ut mihi pili inhorruerunt; quia scio Nicerotem nihil nugarum narrare. imo certus est & minimè linguosus; nam & ipse vobis rem horribilem narrabo. Asinus in tegulis: cùm adhuc capillatus essem, (nam à puero vitam chiam gessi) ipsius nostri delicatus decessit, me-Hercules margaritum, eccritus, & omnium numerûm. Cùm ergo illum mater misella plangeret, & nos tum plures in tristimonia essemus, subitò striges cœperunt, putares canem leporem persequi. Habebamus tunc hominem Cappadocem, longum, valde audaculum, & qui valebat Jovem iratum tollere. Hic audacter stricto gladio extra ostium percucurrit involuta manu sinistra curiosè, & mulierem, tanquam hoc loco, (salvum sit quod tango) mediam trajecit. Audimus gemitum; at planè (non mentiar) ipsas non vidimus: baro autem noster intro versus se projecit in lectum, & corpus totum lividum habebat, quasi flagellis cæsus, quia scilicet illum tetigerat mala manus. Nos clauso ostio redimus iterum ad officium; sed dum mater amplexat corpus filii sui, tangit &

videt manuciolum de stramentis factum: non cor habebat, non intestina, non quicquam: scilicet jam striges puerum involaverant, & suppofuerant stramentitium vacuum. Rogo vos, oportet credatis, sunt mulieres plùs sciæ, sunt nocturnæ, & quod sursum est deorsum faciunt. Cæterùm baro ille longus, post hoc factum, nunquam coloris sui fuit; imò post paucos dies phreneticus periit. Miramur nos, & pariter credimus, osculatique mensam rogamus nocturnas, ut suis se teneant, dum redimus à cœna. Et sanè jam lucernæ mihi plures videbantur ardere, totumque triclinium esse mutatum, cùm Trimalchio: Tibi dico, inquit, Plocrime nihil narras? nihil nos delectaris? & solebas suavis esse, canturire, belle deverbia adIcere, melica. Heu, heu, abistis dulcis caricæ. Jam, inquit ille, quadrigæ meæ decucurrerũt, ex quo podagricus factus sum, alioquin cùm essem adolescentulus cantando pene phthisicus factus sum. quid saltare? quid deverbia? quid tonstrinam? quem parem habui, nisi unum Apelletem? oppositaque ad os manu nescio quid tetrum exsibilavit, quod postea Græcum esse affirmabat: nec non Trimalchio ipse, cùm tubicines esset imitatus ad delicias suas respexit, quem Cræsum appellabat. Puer autem lippus, sordidissimis den-

tibus catellam nigram, atque indecenter pinguem prasina involvebat fascia, panemque semissem ponebat super torum, atque hoc, nausea recusantem saginabat; quo admonitus officio Trimalchio Scylacem jussit adduci, præsidium domus, familiæque. Nec mora, ingentis formæ adductus est canis catena vinctus, admonitusque ostiarii calce ut cubaret, ante mensam se posuit. Tum Trimalchio jactans candidum panem: Nemo, inquit, in domo mea me plus amat. Indignatus puer, quòd Scylacem tam effusè laudaret, catellam in terram deposuit, hortatusque ut ad rixam properaret: Scylax, canino scilicet usus ingenio teterrimo latratu triclinium implevit, Margaritamque Crœsi pene laceravit. Nec intra rixam tumultus constitit, sed candelabrum etiam supra mensam eversum, & vasa omnia crystallina comminuit, & oleo ferventi aliquot convivas respersit. Trimalchio, ne videretur jactura motus, basiavit puerum, ac jussit supra dorsum ascendere suum. Non moratus ille, usus equo, manuque plena scapulas ejus subinde verberavit, & inter risum proclamavit: bucca, bucca, quot sunt hîc? Repressus ergo aliquãdiu Trimalchio camellam grandem jussit misceri, potiones dividi omnibus servis, qui ad pedes sedebant, adjecta exceptione: Si quis,

inquit, noluerit accipere, caput illi perfunde. interdiu severa, nunc hilaria.

Hanc humanitatem insecutæ sunt matteæ, quarum etiam recordatio me, siqua est dicenti fides, offendit. Singulæ enim gallinæ altiles pro turdis circumlatæ sunt, & ova anserina pileata, quæ ut comessemus ambitiosè à nobis Trimalchio petiit, dicens exossatas esse gallinas. Inter hæc triclinii valvis lictor percussit, amictusque veste alba, cum ingenti frequentia comissator intravit. Ego majestate conterritus Prætorem putabam venisse. Itaque tentavi assurgere, & nudos pedes in terram deferre, Risit hanc trepidationem. Agamemnon, & Contine te, inquit, homo stultissime. Habinnas Sevir est idemque lapidarius, qui videretur monumenta optimè facere.

Recreatus hoc sermone reposui cubitum, Habinnamque intrantem cum admiratione ingenti spectabam. Ille autem jam ebrius uxoris suæ humeris imposuerat manus, oneratusque aliquot coronis, & unguento per frontem in oculos fluente, Prætorio loco se posuit, continuóque vinum & caldam poposcit. Delectatus hac Trimalchio hilaritate, & ipse capaciorem poposcit scyphum, quæsivitque quomodo acceptus esset? Omnia, inquit, habuimus præter te: oculi enim mei erant: & me-Hercules bene fuit. Scis-

ſa ſacrum novendiale ſervo ſuo miſello faciebat, quem mortuum manumiſerat: & puto cum viceſimariis magnam mantiſſam habet. quinquaginta enim millibus exiſtimant mortuum. Sed tamen ſuaviter fuit, etiamſi coacti ſumus dimidias potiones ſuper oſſicula ejus effundere. Tamen, inquit, Trimalchio, quid habuiſtis in cœna? Dicam, inquit, ſi potero: non tam bonæ memoriæ ſum: ut frequenter nomèn meum obliviſcar. Habuimus tamen in primo ferculo porcum coronatum, & circa lucanicam & gigeria optimè facta, & certè betam, & panem autopyrum de ſuo ſibi, quem ego malo, quàm candidum; & vires facit, & cum mea re cauſa facio non ploro. Sequens ferculum fuit ſcriblita frigida, & ſupra mel caldum infuſum excellens & Hiſpanum. Itaque de ſcriblita quidem non minimum edi. De melle melius. Quæ tetigi circa, cicer & lupinum, Calvæ arbitratu, & mala ſingula; ego tamen duo ſuſtuli, & ecce in mappa adligata habeo: nam ſi aliquid muneris meo vernulæ non tulero, habebo convitium. Bene me admonet domina mea: in proſpectum habuimus urſinæ fruſtum, de quo cùm imprudens Scintilla guſtaſſet, pene inteſtina ſua vomuit. Ego contra plus libram comedi, nam ipſum apum ſapiebat, Et ſi, inquam, urſus homuncio-

nem comest, quantò magis homuncio debet ursum comesse? In summa: habuimus caseum mollem, & sapam, & cochleas singulas, & cordæ frusta, & epatia in catellis, & ova pileata, & rapam, & sinapi, & catillum congiarium, pax Palamedes? & in alveo circumlata sunt oxygonia, unde quidam etiam improbiter nos pugno sustulerunt: nam pernæ missionem dedimus. Sed narra mihi Gai, rogo, Fortunata quare non recũbit? Quomodo nosti, inquit, illam Trimalchio, nisi argentum composuerit, nisi reliquias pueris diviserit, aquam in os suum non conjiciet. Atqui, respondit Habinnas, nisi illa discumbit, ego me apecalo: & cœperat surgere, nisi signo dato Fortunata quater amplius à tota familia esset vocata. Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina appareret tunica, & periscelides tortæ, phœcasiæque inaurata. Tunc sudario manus tergens, quod in collo habebat, applicat se illi toro in quo Scintilla Habinnæ discumbebat uxor, osculataque plaudentem, Est te, inquit, videre? Eò deinde perventum est, ut Fortunata armillas suas crassissimis detraheret lacertis, Scintillæque miranti ostenderet. Vltimò etiam periscelides resolvit, & reticulum aureum, quem ex obrusso esse dicebat. Notavit hæc Trimalchio, jussitque afferri omnia: &, Videtis, inquit, mulieris compedes? Sic nos baceli

despoliamur. Sex pondo, & selibram debet habere, & ipse nihilominus habeo decem pondo armillam ex millesimis Mercurii factam. Ultimo etiam, ne mentiri videretur, stateram jussit afferri, & circulatũ approbari pondus. Nec melior Scintilla; quæ de cervice sua capsellam detraxit aureolã, quam Felicionem appellabat, inde duo crotalia protulit, & Fortunatæ invicem consideranda dedit: &, Domini, inquit, mei beneficio nemo habet meliora. Quid? inquit Habinnas, excatarizasti me, ut tibi emerem fabam vitream, Plane, si filiam haberem, auriculas illi præciderem. Mulieres si non essent omnia pro luto haberemus. nunc hoc est caldum mejere, & frigidum potare. Interim mulieres sauciæ inter se riserunt, ebriæque junxerunt oscula: dum altera diligentiam matrisfamiliæ jamat: altera delicias & indulgentiam viri. dumque sic cohærent, Habinnas furtim consurrexit, pedesque Fortunatæ correctos super lectum immisit. Au, au! illa proclamavit, aberrante tunica super genua composita. Ergo in gremio Scintillæ indecens imam rubore faciem sudario abscondit. Interposito deinde spatio, cum secundas mensas Trimalchio jussisset afferri, sustulerunt servi omnes mensas, & alias attulerunt, scrobemq; croco & minio tinctam sparserunt, & quod nunquam ante videram, ex lapide speculari pulverem tritum.

Statim

Statim Trimalchio: Poteram, inquit, hoc ferculo esse contentus, secundas enim habetis mensas; si quid belli habes, adfer. Interim puer Alexandrinus, qui caldam ministrabat, luscinias cœpit imitari, clamante Trimalchione subinde: Muta. Ecce alius ludus: Servus, qui ad pedes Habinnæ sedebat, jussus, credo, à domino suo proclamavit subito, canora voce:

Interea medium Æneas jam classe tenebat.

Nullus sonus unquam acidior percussit aures meas: nam, præter errantis barbariem, aut abjectum, aut diminutum clamorem, discebat Atellanicos versus; ut tunc primum me etiam Virgilius offenderit. Lassus tamen cùm aliquando desiisset, adjecit Habinnas: Et numquid didicit? Sed ego: ad circulatores eum mittendum audiebatur. Itaque parem non habet, sive muliones volet, sive circulatores imitari. desperatus valde ingeniosus est. Idem sutor est, idem cocus, idem pistor, omnis Musæ mancipium. Duo tamen vitia habet, quæ si non haberet, esset omnium numerorum: recutitus est, & stertit; nam quod strabo est, non curo. Sicut Venus spectat, ideo nihil tacet: vix oculo mortuo unquam illum emit trecentis denariis. Interpellavit loquentem Scintilla, &: Plane, inquit, non omnia artificia servi nequam nar-

D

ras. Agaga est; at curabo stigma habeat. Risit Trimalchio, & , Adcognosco, inquit, Cappadocem: nihil sibi defraudat, & me-Hercules laudo illum, hoc enim nemo parentat: tu autem Scintilla noli Zelotypa esse. Crede mihi, & vos novimus. Sic me salvum habeatis, ut ego sic solebam ipsum Ammeam debatuere, ut etiam dominus suspicaretur, & ideo me in villicationem relegavit. Sed tace lingua, dabo panem. Tanquam laudatus esset nequissimus servus lucernam de sinu fictilem protulit, & amplius semihora tubicines imitatus est, succinente Habinna, & inferius labrum manu deprimente. Vltimo, etiam in medium processit, & modo arundinibus quassis choraulas imitatus est, modo lacernatus cum flagello mulionum fata egit; donec vocatum ad se Habinnas basiavit, potionemque illi porrexit, & , Tanto melior, inquit, Massa dono tibi caligas. Nec ullus tot malorum finis fuisset, nisi epidipnis esset adlata, turdis siligine, uvis passis, nucibusque fartis. Insecuta sunt Cydonia etiam mala spinis confixa, ut echinos efficerent; & hæc quidem tolerabilia erant, si non ferculum longè monstruosius effecisset, ut vel fame perire maluissemus. Nam cum positus esset, ut nos putabamus, anser altilis circaque pisces, & omnium genera avium, inquit Trimalchio: Quidquid videtis hic positum,

de uno corpore est factum. Ego, scilicet homo prudentissimus, statim intellexi quid esset, & respiciens Agamemnonem: Mirabor, inquam, nisi omnia ista defricta sunt, aut certè de luto: vidi Romæ Saturnalibus ejusmodi cœnarum imaginem fieri. Nec dum finieram sermonem, cum Trimalchio ait: Ita crescam patrimonio, non corpore, ut ista cocus meus de porco fecit. Non potest esse pretiosior homo. Volueris, de vulva faciet piscem, de lardo palumbum, de perna turturem, de colo suis gallinam; & ideo, ingenio meo, impositum est illi nomen bellissimum: nam Dædalus vocatur: & quia bonam mentem habet, attulit illi Roma unus cultros Norico ferro; quos statim jussit adferri, inspectosque miratus est, & nobis potestatem fecit, ut mucronem ad buccam probaremus. Subitò intraverunt duo servi, tanquam qui rixam ad lacum fecissent; certe in loco adhuc amphoras habebant. Cùm ergo Trimalchio jus inter litigantes diceret, neuter sententiam tulit decernentis, sed alterius amphoram fuste percussit. Consternati nos insolentia ebriorum, intentavimus oculos in prœliantes, notavimusque ostrea, pectinesque è castris labentia, quæ collecta puer lance circumtulit. Has lauticias æquavit ingeniosus cocus; in craticula enim argentea cochleas attulit, & tremula, teterrimaque voce cantavit. Pu-

det referre quæ sequuntur: inaudito enim more pueri capillati attulerunt unguentum in argentea pelvi, pedesque recumbentium unxerunt, cùm ante crura, pedesque, talosque corollis vinxissent. Hinc ex eodem unguento in vinarium, atque lucernam liquatum est infusum. Jam cœperat Fortunata velle saltare: jam Scintilla frequentius plaudebat, quàm loquebatur. cùm Trimalchio: Permitto, inquit, Philargyre, & Carrio, & si prasianus es famosus, dic & Minophile contubernali tua discumbat. Quid multa? penè de lectis dejecti sumus, adeo totum triclinium familia occupaverat. Certè ergo notavi super me positum cocum, qui de porco anserem fecerat, muria, condimentisque fœtentem. Nec contentus fuit recumbere, sed continuò Ephesum Tragœdum cœpit imitari, & subinde dominum suum sponsione provocare, Si prasinus proximis Circensibus primam palmam. Diffusus hac contentione Trimalchio: Amici, inquit, & servi homines sunt, & æque unum lactem biberunt, etiamsi illos malus fatus oppresserit: tamen me salvo citò aquam liberam gustabunt. Ad summam, omnes illos in testamento meo manumitto. Philargyro & fundum lego, & contubernalem suam. Carrioni quoque insulam, & vicesimam, & lectum stratum. Nam Fortunatam meam hæredem facio, &

commendo illam omnibus amicis meis: & hæc omnia publico ideo, ut familia mea jam nunc sic me amet, tanquam mortuum. Gratias agere omnes indulgentiæ cœperant domini, cum ille oblitus nugarum exemplar testamenti jussit adferri, & totum à primo ad ultimum, ingemiscente familia, recitavit. Respiciens deinde Habinnam: Quid dicis, inquit, amice carissime? ædificas monumentum meum, quemadmodum te jussi? Valde te rogo, ut secundum pedes statuæ meæ catellam pingas, & coronas, & unguenta, & peractas omnes pugnas, ut mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere. Præterea, ut sint in fronte pedes centum: in agrum pedes ducenti. Omne genus etiam pomorum volo sit circa cineres meos, & vinearum largiter. Valde enim falsum est, vivo quidem domos cultas esse: non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est; & ideo ante omnia adjici volo: HOC MONUMENTUM HEREDEM NON SEQUATUR.

Cæterum erit mihi curæ, ut testamento caveam, ne mortuus injuriam accipiam: præponam enim unum ex libertis sepulcro meo, custodiæ causâ, ne in monumentum meum populus cacatum currat. Te rogo, ut naves etiam monumenti mei facias plenis velis euntes: & me in tribunali sedentem prætextatum, cum anulis au-

reis quinque, & nummos in publico de sacculo effundentem; scis enim, quod epulum dedi, et binos denarios: facias, si tibi videtur, & triclinia: facies & totum populum sibi suaviter facientem. Ad dexteram meam ponas statuam Fortunatæ meæ columbam tenentem: & catellam cingulo adligatam ducat: & Cicaronem meum: & amphoras copiosas, gypsatas, ne effluat vinum: & unam licet fractam sculpas, & super eam puerum plorantem: horologium in medio, ut quisquis horas inspiciet, velit, nolit, nomen meum legat. Inscriptio quoque vide diligenter si hæc satis idonea tibi videtur. C. POMPEIUS TRIMALCHIO MŒCENATIANUS HIC REQUIESCIT, HUIC SEVIRATUS ABSENTI DECRETUS EST. CUM POSSET IN OMNIBUS DECURIIS, ESSE TAMEN NOLUIT; PIUS, FORTIS, FIDELIS, EX PARVO CREVIT, SESTERTIUM RELIQUIT TRECENTIES, NEC UNQUAM PHILOSOPHUM AUDIVIT. VALE ET TU. *Hæc ut dixit Trimalchio, flere cœpit ubertim; flebat & Fortunata: flebat & Habinnas; tota denique familia, tanquam in funus rogata, lamentatione triclinium implevit. Imo jam cœperam etiam ego plorare, cum Trimalchio: Ergo, inquit, cùm sciamus nos morituros esse, quare non vivamus? Sic vos felices videam, conjiciamus*

nos in balneum, meo periculo non pœnitebit. Sic calet tanquam furnus. Verò, verò, inquit Habinnas, de una die duas facere nihil malo: nudiſque conſurrexit pedibus, & Trimalchionem gaudentem ſubſequi. Ego reſpiciens ad Aſcylton: Quid cogitas? inquam; ego enim, ſi videro balneum, ſtatim expirabo. Aſſentemur, ait ille, & dum illi balneum petunt, nos in turba exeamus. Cum hæc placuiſſent, ducente per porticum Gitone ad januam venimus: ubi canis catenarius tanto nos tumultu excepit, ut Aſcyltos etiam in piſcinam ceciderit: nec non ego quoque ebrius, qui etiam pictum timueram canem, dum natanti opem fero, in eundem gurgitem tractus ſum. Servavit nos tamen atrienſis, qui interventu ſuo, & canem placavit, & nos trementes extraxit in ſiccum. Et Giton quidem, jam dudum ſe ratione acutiſſima redemerat à cane; quidquid enim à nobis acceperat de cœna latranti ſparſerat, at ille avocatus cibo furorem ſuppreſſerat. Cæterùm cùm algentes utique petiſſemus ab atrienſe, ut nos extra januam emitteret: Erras, inquit, ſi putas te exire hac poſſe, qua veniſti. Nemo unquam convivarum per eandem januam emiſſus eſt; alia intrant, alia exeunt. Quid faciamus? homines miſerrimi, & novi generis labyrintho incluſi, quibus lavari jam cœperat notum

esse. Vltro ergo rogamus, ut nos ad balneum duceret: projectisque vestimentis, quæ Giton in aditu siccare cœpit, balneum intravimus, angustum scilicet, & cisternæ frigidariæ simile, in qua Trimalchio rectus stabat; ac ne sic quidem putidissimam ei actionem licuit effugere: Nam nihil melius esse dicebat, quàm sine turba lavari. & eo loco ipsi aliquando pistrinum fuisse. Deinde, ut lassatus consedit, invitatus balnei sono diduxit usque ad cameram os ebrium, & cœpit Menecratis cantica lacerare, sicut illi dicebant, qui linguam ejus intelligebant. Cæteri convivæ circa labrum manibus nexis currebant, & gingilismo ingenti clamore exsonabant: alii autem, aut restrictis manibus anulos de pavimento conabantur tollere: aut posito genu cervices post terga flectere, & pedum extremos pollices tangere. Nos dum alii sibi ludos faciunt, in solio, quod Trimalchioni parabatur descendimus. Ergo ebrietate discussa in aliud triclinium deducti sumus, ubi Fortunata disposuerat lauticias; ita ut supra, lucernas, æneolosque piscatores notaverim: & mensas totas argenteas, calicesque circa fictiles inauratos: & vinum in conspectu sacco defluens. Tum Trimalchio: Amici, inquit, hodie servus meus barbatoriam facit, homo, præfiscini, frugi, & mi carus. Itaque tangomenas faciamus, &

usque in lucem cœnemus. Hæc dicente eo gallus gallinaceus cantavit, qua voce confusus Trimalchio vinum sub mensam jussit effundi, lucernamque etiam mero spargi; imo anulum trajecit in dexteram manum, & , Non sine causa, inquit, hic buccino signum dedit; nam aut incendium oportet fiat: aut aliquis in vicinia animam abjiciet. Longè à nobis, itaque quisquis hunc indicem attulerit corollarium accipiet. Dicto citius de vicinia gallus adlatus est, quem Trimalchio jussit, ut æno coctus fieret. Laceratus igitur ab illo doctissimo coco, qui paulo ante de porco aves, piscesque fecerat, in cacabum est conjectus; dumque Dædalus potionem ferventissimam haurit, Fortunata mola buxea piper trivit. Sumptis igitur matteis respiciens ad familiam Trimalchio: Quid vos, inquit, adhuc non cœnastis? abite, ut alii veniant ad officium. Subiit igitur alia classis, & illi quidem exclamavere, Vale Gai: hi autem, Ave Gai. Hinc primùm hilaritas nostra turbata est; nam cùm puer non inspeciosus inter novos intrasset ministros, invasit eum Trimalchio, & osculari diutius cœpit. Itaque Fortunata, ut ex æquo jus firmum approbaret, maledicere Trimalchionem cœpit, & purgamentum, dedecusque prædicare, qui non contineret libidinem suam. Ultimò etiam adjecit, canis. Trimalchio contrà confusus, offensus

convitio calicem in faciem Fortunatæ immisit. Illa tanquam oculum perdidisset exclamavit, manusque trementes ad faciem suam admovit. Consternata est etiam Scintilla, trepidantemque sinu suo texit: imo puer quoque officiosus urceolum frigidum ad malam ejus admovit, super quem incumbens Fortunata gemere, ac flere cœpit. Contrà Trimalchio: Quid enim, inquit, ambubaja non me misit, si de machra illam sustuli, hominem inter homines feci? at inflat se tanquam rana, & in sinum suum conspuit; codex, non mulier. Sed hic, qui in pergula natus est, ædes non somniat. Ita Genium meum propitium habeam, curabo domata sit Cassandra caligaria. Et ego, homo dipondiarius, sestertium centies accipere potui. Scis tu me non mentiri. Agatho unguentarius here proxime seduxit me, &, Suadeo, inquit, non patiaris genus tuum interire. At ego, dum bona huic ago, & nolo videri levis, ipse mihi asciam in crus impegi. Rectè curabo me unguibus quæras: &, ut depræsentiarum intelligas quid tibi feceris: Habinna, nolo statuam ejus in monumento meo ponas, ne mortuus quidem lites habeam. Imo, ut sciat me posse malum dare, nolo, me mortuum basiet. Post hoc fulmen Habinnas rogare cœpit, ut jam desineret irasci: &, Nemo, *inquit,* nostrûm non peccat; homines sumus non

Dii. *Idem & Scintilla flens dixit, ac per Genium ejus, Gaium appellando, rogare cœpit, ut effrangeretur. Non tenuit ultra lacrymas Trimalchio, &, Rogo, inquit, Habinna sic peculium tuum fruniscaris, si quid perperam feci, in faciem meam inspue. Puerum basiavi frugalissimum, non propter formam, sed quia frugi est; decem partes dicit: librum ab oculo legit: pretium sibi de diariis fecit: arcisellium de suo paravit, & duas trullas. Non est dignus, quem in oculis feram? sed Fortunata vetat. Ita tibi videtur fulcipedia? Suadeo bonum tuum concoquas milva, & me non facies ringentem, amasiuncula; aliquando experieris cerebrum meum. Nosti me, quod semel destinavi clavo trabali fixum est. Sed vivorum meminerimus. Vos rogo amici, ut vobis suaviter sit; nam ego quoque tam fui, quàm vos estis, sed virtute mea ad hoc perveni. Corcillum est quod homines facit, cætera quisquilia omnia; bene emo, bene vendo: alius alia vobis dicet; felicitate dissilio. Tu autem sterterа, etiamnum ploras? jam curabo fatum tuum plores. Sed, ut cœperam dicere, ad hanc me fortunam frugalitas mea perduxit. Tam magnus ex Asia veni, quàm hic candelabrus est. Ad summam, quotidie me solebam ad illum metiri, & ut celerius rostrum barbatum haberem, labra de lucerna ungebam. Tamen ad delicias fe-*

mina ipsimi domino annos quatuordecim fui; nec turpe est quod dominus jubet. Ego tamen, & ipsi meæ dominæ satisfaciebam. Scitis quid dicam. Taceo quia non sum de gloriosis. Cæterùm, quemadmodum Di volunt, dominus in domo factus sum; & ecce capi ipsimi cerebellum. Quid multa? cohæredem me Cæsari fecit, & accepi patrimonium laticlavium. Nemini tamen nihil satis est: concupivi negotiari. Ne multis vos morer, quinque naves ædificavi: oneravi vinum, & tunc erat auro contra; misi Romam. Putares me hoc jussisse: omnes naves naufragarunt. Factum, non fabula: uno die Neptunus trecenties sestertium devoravit. Putatis me defecisse? non meHercules mi hæc jactura gustui fuit; tanquam nihil facti; alteras feci majores, & meliores, & feliciores: ut nemo non me virum fortem diceret. Scis, magna navis magnam fortitudinem habet. Oneravi rursus vinum, lardum, fabam, seplasiaria, mancipia. Hoc loco Fortunata rem piam fecit; omne enim aurum suum, omnia vestimenta vendidit, & mi centum aureos in manu posuit: hoc fuit peculii mei fermentum. Cito fio, quod Dii volunt: uno cursu centies sestertium corrotundavi. Statim redemi fundos omnes, qui patroni mei fuerant; ædifico domum. venalitia coëmo jumenta; quidquid tangebam crescebat tanquam favus. Post-

quam cœpi plus habere, quàm tota patria mea habet, manum de tabula, ſuſtuli me de negotiatione, & cœpi libertos ſenerare. Et ſanè nolente me negotium meum agere, exoravit mathematicus, qui venerat forte in coloniam noſtram, Græculus, Serapa nomine, conſiliator Deorum. Hic mihi dixit etiam ea, quæ oblitus eram, ab acia & acu mi omnia expoſuit, inteſtina mea noverat, tantumque non dixerat, quid pridie cœnaveram. Putaſſes illum ſemper mecum habitaſſe. Rogo Habinna, puto interfuiſti: tu dominam tuam de rebus illis feciſti: tu parum felix in amicis es: nemo unquam tibi parem gratiam refert: tu latifundia poſſides: tu viperam ſub ala nutricas. Et cur vobis non dixerim, etiam nunc mi reſtare vitæ annos triginta, & menſes quatuor, & dies duos? præterea citò accipiam hæreditatem. Hoc mihi dicit fatus meus; quod ſi contigerit fundos Apuliæ jungere, ſatis vivus pervenero. Interim dum Mercurius vigilat ædificavi hanc domum: ut ſcitis caſa erat, nunc Templum eſt; habet quatuor cœnationes, cubicula viginti, porticus marmoratas duas, ſuſum cellationem, cubiculum in quo ipſe dormio, viperæ hujus ſeſſorium, hoſtiarii cellam perbonam, hoſpitium M hoſpites capit. Ad ſummam, Scaurus cum huc venit, nuſquam mavoluit hoſpitari, & habet ad mare paternum

hospitium, & multa alia sunt, quæ statim vobis ostendam. Credite mihi: assem habeas, assem valeas: habes, habeberis. Sic amicus vester, qui fuit rana, nunc est Rex. Interim Stiche profer vitalia, in quibus volo me efferri. Profer & unguentum, & ex illa amphora gustum, ex qua jubeo lavari ossa mea. Non est moratus Stichus, sed & stragulam albam, & prætextam in triclinium attulit, jussitque nos tentare an bonis lanis essent confectæ. Tum subridens: Vide tu, inquit, Stiche ne ista mures tangant, aut tineæ; alioquin te vivum comburam; ego gloriosus volo efferri, ut totus mihi populus bene imprecetur. Statim ampullam nardi aperuit, omnesque nos unxit: &, Spero, inquit, futurum, ut æque me mortuum juvet, tanquam vivum. Nam vinum quidem in vinarium jussit infundi: &, Putate vos, ait, ad parentalia mea invitatos esse. Ibat res ad summam nauseam, cum Trimalchio ebrietate turpissima gravis, novum acroama, cornicines in triclinium jussit adduci, fultusque cervicalibus multis extendit se supra torum extremum: & fingite me, inquit, mortuum esse, dicite aliquid belli. Consonuere cornicines funebri strepitu. Unus præcipuè servus libitinarii illius, qui inter hos honestissimus erat tam valde intonuit, ut totam concitaret viciniam. Itaque vigiles, qui custodie-

bant vicinam regionem rati ardere Trimalchionis domum, effregerunt januam subitò, & cum aqua, securibusque tumultuari suo jure cœperunt. Nos occasionem opportunissimam nacti Agamemnoni verba dedimus, raptimque tam plane, quàm ex incendio fugimus.

Neque fax ulla in præsidio erat, quæ iter aperiret errantibus, nec silentium noctis jam mediæ promittebat occurrentium lumen. Accedebat huc ebrietas & imprudentia locorum, etiam interdiu obscura. Itaque cùm hora penè tota, per omnes scrupos, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes, tandem expliciti acumine Gitonis sumus. Prudens enim pridie, cùm luce etiam clara timeret errorem, omnes pilas columnasque notaverat, certaque liniamenta evicerunt spississimam noctem, & notabili candore ostenderunt errantibus viam. Quamvis non minus sudoris habuimus etiam postquam ad stabulum pervenimus. Anus etiam ipsa inter diversitores diutiùs ingurgitata, ne ignem quidem admotum sensisset: & forsitan pernoctassemus in limine, ni tabellarius Trimalchionis intervinisset x vehiculis dives. Non diu ergo tumultuatus stabuli januam effregit, & nos per eandem fenestram admisit. * * *

Qualis nox fuit illa, dii, deæque!
Quàm mollis torus! hæsimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas. Valete curæ!
Mortalis ego sic perire cœpi.

Sine causa gratulor mihi. Nam cùm solutus mero amisissem ebrias manus, Ascyltos omnis injuriæ inventor subduxit mihi nocte puerum, & in lectum transtulit suum; volutatusque liberius cum fratre non suo, sive non sentiente injuriam, sive dissimulante, indormivit alienis amplexibus oblitus juris humani. Itaque ego experrectus pertrectavi gaudio dispoliatum torum; si qua est amantibus fides, ego dubitavi, an utrumque trajicerem gladio, somnumque morti jungerem. Tutius demum secutus consilium, Gitona quidem verberibus excitavi; Ascylton autem truci intuens vultu: quoniam, inquam, fidem scelere violasti, & communem amicitiam, res tuas ocius tolle, & alium locum, quem polluas, quære. Non repugnavit ille, sed postquam optima fide partiti manubias sumus: Age, inquit, nunc & puerum dividamus. Jocàri putabam discedentem; at ille gladium parricidali manu strinxit, & , Non frueris, inquit, hac præda, super quam solus incumbis. Partem meam necesse est vel hoc gladio contentus abscin-

ciam. Idem ego ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio, compoſui ad prælіandum gradum. Inter hanc miſerorum dementiam infeliciſſimus puer tangebat utriuſque genua cum fletu, petebatque ſuppliciter, ne Thebanum par humilis taberna ſpectaret, neve ſanguine mutuo pollueremus familiaritatis cariſſimæ ſacra. Quod ſi utique, proclamabat, facinore opus eſt, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones: ego mori debeo qui amicitiæ ſacramentum delevi. Inhibuimus ferrum poſt has preces: & prior Aſcyltos, Ego, inquit, finem diſcordiæ imponam. Puer ipſe, quem vult, ſequatur, ut ſit illi ſaltem in eligendo fratre ſalva libertas. Ego vetuſtiſſimam conſuetudinem putabam in ſanguinis pignus tranſiiſſe, nihil timui, imò conditionem præcipiti feſtinatione rapui, commiſique judici litem: qui ne deliberavit quidem, ut videretur cunctatus, verùm ſtatim ab extrema parte verbi conſurrexit, fratrem Aſcylton elegit. Fulminatus hac pronuntiatione, ſicut eram ſine gladio, in lectulum decidi, & attuliſſem mihi damnatas manus, ſi non inimici victoriæ invidiſſem. Egreditur ſuperbus cum præmio Aſcyltos, & paulò antè cariſſimum ſibi commilitonem, fortunæque etiam ſimilitudine parem in

loco peregrino destituit abjectum.

Nomen amicitiæ, si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus.
Cùm fortuna manet, vultum servatis amici;
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scæna mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Nec diu tamen lachrymis indulsi, sed veritus ne Menelaus etiam antescholanus, inter cætera mala, solum me in diversorio inveniret, conlegi sarcinulas locumque secretum, & proximum littori mœstus conduxi. Ibi triduo inclusus, redeunte in animum solitudine atque contemptu, verberabam ægrum planctibus pectus, & inter tot altissimos gemitus frequenter etiam proclamabam: Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi judicium, harenæ imposui, hospitem occidi, ut inter audaciæ nomina mendicus, exul, in diversorio Græcæ urbis jacerem desertus? Et quis mihi hanc solitudinem imposuit? Adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exilio: stupro liber, stupro ingenuus, cujus anni ad tesseram venerunt, quem tanquam puellam conduxit etiam, qui

virum putavit. Quid ille alter, ô dii, qui tanquam togæ virilis ſtolam ſumpſit, qui ne vir eſſet à matre perſuaſus eſt; qui opus muliebre in ergaſtulo fecit, qui poſtquam conturbavit, & libidinis ſuæ ſolum vertit, reliquit veteris amicitiæ nomen, & proh pudor! tanquam mulier ſecutuleïa, unius noctis tactu omnia vendidit? Jacent nunc amatores obligati noctibus totis, & forſitan mutuis libidinibus adtriti derident ſolitudinem meam; ſed non impunè. Nam aut vir ego liberque non ſum, aut noxio ſanguine parentabo injuriæ meæ. Hæc locutus gladio latus cingor, &, ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires; mox in publicum proſilio, furentiſque more omnes circumeo porticus. Sed dum attonito vultu efferatoque nil aliud quàm cædem & ſanguinem cogito, frequentiuſque manum ad capulum, quem devoveram, refero, notavit me miles, ſive ille planus fuit, ſive nocturnus graſſator: &, Quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es, aut cujus centuriæ? Cùm conſtantiſſimè & centurionem & legionem eſſem ementitus: Age ergo, inquit ille, in exercitu veſtro phæcaſiati milites ambulant? Cùm deinde vultu atque ipſa trepidatione mendacium prodidiſſem, ponere juſſit arma, & malo cavere. Deſpoliatus er-

go, imo præcisa ultione, retro ad diversorium tendo, paulatimque temeritate lassata, cœpi grassatoris audaciæ gratias agere. * *

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui timet, & sicco concoquit ore famem.
* * *

Nequaquam rectè faciet, qui citò credit. * *

Nemo Cœlum putat, nemo jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit: sed omnes opertis oculis bona sua computant. * *

Quod hodie non est, cras erit: sic vita truditur. * *

Quod non expectas, ex transverso fit, & super nos Fortuna negotium curat. *

Apes ideo pungunt, quia ubicumque dulce est, ibi & acidum invenies. * *

Semper hac in re, qui vincitur, vincit. * *

Nemo nostrûm non peccat; homines sumus, non Dii. * *

Non multùm oportet consilio credere, quia suam habet Fortuna rationem. *

In pinacothecam perveni vario genere tabularum mirabilem: nam & Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis injuria vi-

ctas; & Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia, non sine quodam horrore tractavi. Jam verò Apellis, quam Græci Monocromon appellant, etiam adoravi. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem præcisæ, ut crederes etiam animorum esse picturam. Hinc aquila ferebat cœlo sublimis deum. Illinc candidus Hylas repellebat improbam Naïada. Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modò nato flore honorabat. Inter quos etiam pictorum amantium vultus, tanquam in solitudine exclamavi: ergo amor etiam deos tangit? Jupiter in cœlo suo non invenit quod eligeret, & peccaturus in terris, nemini tamen injuriam fecit. Hylam Nympha prædata imperasset amori suo, si venturum ad interdictum Herculem credidisset. Apollo pueri umbram revocavit in florem, & omnes fabulæ quoque habuerunt sine æmulo complexus. At ego in societatem recepi hospitem Lycurgo crudeliorem. Ecce autem, ego dum cum ventis litigo, intravit pinacothecam senex canus, exercitati vultus, & qui videretur nescio quid magnum promittere; sed cultu non proinde speciosus, ut facilè appareret, eum ex hac nota literatorum esse, quos odisse divites solent. Is

ergo ad latus constitit meum, &, Ego, inquit, Poëta sum, & ut spero non humillimi spiritus, si modò coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. Quare ergo, inquis, tam malè vestitus es? Propter hoc ipsum, amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

Qui pelago credit, magno se fenore tollit;
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro,
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro;
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

Non dubio ita est, si quis vitiorum omnium inimicus, rectum iter vitæ cœpit insistere, primùm propter morum differentiam odium habet (quis enim potest probare diversa?) deinde, qui solas exstruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quàm quod ipsi tenent. Jactantur itaque, quacumque ratione possunt, litterarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam positi. * Nescio quo modo bonæ mentis soror est paupertas. * Vellem tam innocens esset frugalitatis meæ hostis, ut deliniri posset. Nunc veteranus est latro, & ipsis

lenonibus doctior. * * In Asiam cùm à Quæstore essem stipendio eductus, hospitium Pergami accepi: ubi cùm libenter habitarem, non solùm propter cultum ædicularum, sed etiam propter hospitis formosissimum filium, excogitavi rationem, qua non essem patrifamiliæ suspectus amator. Quotiescumque enim in convivio de usu formosorum mentio facta est, tam vehementer excandui, tam severa tristitia violari aures meas obscœno sermone dolui, ut me mater præcipuè tanquam unum ex philosophis intueretur. Jam ergo cœperam ephebum in gymnasium deducere: ego studia ejus ordinare, ego docere ac pręcipere, ne quis prædator corporis admitteretur in domum. * Fortè cùm in triclinio jaceremus, quia dies solemnis ludum arctaverat, pigritiamque recedendi imposuerat hilaritas longior, ferè circa mediam noctem intellexi puerum vigilare. Itaque timidissimo murmure votum feci; &, Domina, inquam, Venus, si ego hunc puerum basiavero, ita ut ille non sentiat, cras illi par columbarum donabo. Audito voluptatis precio, puer stertere cœpit. Itaque aggressus simulantem aliquot basiolis invasi. Contentus hoc principio, benè manè surrexi, electumque par columbarum attuli expectanti, ac me voto exsolvi. Pro-

xima nocte, cùm idem liceret, mutavi optionem: &, Si hunc, inquam, tractavero improba manu, & ille non senserit, gallos gallinaceos pugnacissimos duos donabo patienti. Ad hoc votum Ephebus ultro se admovit, &, puto, vereri cœpit ne ego obdormissem. Indulsi ergo sollicito, totoque corpore citra summam voluptatem me ingurgitavi. Deinde, ut dies venit, attuli gaudenti quidquid promiseram. Ut tertia nox licentiam dedit, consurrexi ad aurem malè dormientis: Dii, inquam, immortales! si ego huic dormienti abstulero coïtum plenum & optabilem, pro hac felicitate cras puero asturconem Macedonicum optimum donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit. Nunquam altiore somno Ephebus obdormivit. Itaque primùm implevi lactentibus papillis manus, mox basio inhæsi, deinde in unum omnia vota conjunxi. Manè sedere in cubiculo cœpit, atque expectare cõsuetudinem meam. Scis quantò facilius sit columbas, gallosque gallinaceos emere, quàm asturconem: & præter hoc etiam timebam, ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam. Ergo aliquot horis spatiatus, in hospitium reverti, nihilque aliud quàm puerum basiavi: At ille circumspiciens, ut cervicem meam junxit

xit

xit amplexui, Rogo, inquit, domine, ubi eſt aſturco? * Cùm ob hanc offenſam præcluſiſſem mihi aditum, quem feceram, iterum ad licentiam redii. Interpoſitis enim paucis diebus, cùm ſimilis nos caſus in eandem fortunam retuliſſet, ut intellexi ſtertere patrem, rogare cœpi Ephebum, ut reverteretur in gratiam mecum, id eſt, ut pateretur ſatisfieri ſibi, & cætera, quæ libido diſtenta dictat. At ille planè iratus, nihil aliud dicebat, niſi hoc, Aut dormi, aut ego jam dicam patri. Nihil eſt tam arduum, quod non improbitas extorqueat. Dum dicit, Patrem excitabo, irrepſi tamen, & malè repugnanti gaudium extorſi. At ille, non indelectatus nequitia mea, poſtquam diu queſtus eſt, deceptum ſe & deriſum traductumque inter condiſcipulos, quibus jactaſſet cenſum meum, Videris tamen, inquit, non ero tui ſimilis. Si quid vis, fac iterum. Ego verò depoſita omni offenſa, cum puero in gratiam redii, uſuſque beneficio ejus, in ſomnum delapſus ſum. Sed non fuit contentus iteratione Ephebus plenæ maturitatis, & annis ad patiendum geſtientibus. Itaque excitavit me ſopitum. Et, Numquid vis? inquit. Et non planè jam moleſtum erat munus. Utcumque igitur inter anhelitus ſudoreſque tritus, quod voluerat, ac-

cepit, rursusque in somnum decidi gaudio lassus. Interposita minus hora, pungere me manu cœpit, & dicere: Quare non facimus? Tum ego toties excitatus, planè vehementer excandui, & reddidi illi voces suas: Aut dormi, aut ego jam patri dicam. Erectus his sermonibus, consulere prudentiorem cœpi ætates tabularum, & quædam argumenta mihi obscura, simulque causam desidiæ præsentis excutere, cur pulcherrimæ artes periissent, inter quas Pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset. Tum ille, Pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica instituit. Priscis enim temporibus, cùm adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum sæculis diu lateret. Itaque, hercules, omnium herbarum succos Democritus expressit: & ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit. Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, ut astrorum cœlique motus deprehenderet: & Chrysippus, ut ad inventionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. Verùm, ut ad plastas convertar, Lysippum statuæ unius lineamentis inhærentem inopia extinxit: & Myron, qui penè hominum animas, ferarumque ære

comprehenderat, non invenit hæredem. At nos vino ſcortiſque demerſi, ne paratas quidem artes audemus cognoſcere; ſed accuſatores antiquitatis, vitia tantùm docemus & diſcimus. Ubi eſt Dialectica? Ubi Aſtronomia? Ubi Sapientiæ conſultiſſima via? Quis unquam venit in Templum, & votum fecit, ſi ad Eloquentiam perveniſſet? Quis, ſi Philoſophiæ fontem inveniſſet? ac ne bonam quidem mentem aut bonam valetudinem petunt: ſed ſtatim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, ſi propinquum divitem extulerit: alius, ſi theſaurum effoderit: alius, ſi ad trecenties H-S. ſalvus pervenerit. Ipſe Senatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere ſolet: & ne quis dubitet, pecuniam concupiſcere, Jovem quoque peculio exorat. Nolito ergo mirari, ſi Pictura defecit, cùm omnibus diis hominibuſque formoſior videatur maſſa auri, quàm quidquid Apelles Phidiaſve, Græculi delirantes, fecerunt. Sed video totum te in illa hærere tabula, quæ Trojæ haloſin oſtendit: itaque conabor opus verſibus pandere.

Jam decuma mœſtos inter ancipites metus
Phrygas obſidebat meſſis, & vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu:

Cùm, Delio profante, cæsi vert.ces
Idæ trahuntur, scissaque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.
Aperitur ingens clostrum, & obducti specus
Qui castra caperent. Huc decenni prælio
Irata virtus abditur, stipant graves
Equi recessus Danai, & in voto latent.
O patria! pulsas mille credidimus rates,
Solumque bello liberum: hoc titulus fero
Incisus, hoc ad fata compositus Sinon
Firmabat, & mendacium in damnum potens.
Jam turba portis libera, ac bello carens
In vota properant: fletibus manant genæ,
Mentisque pavidæ gaudium lachrymas habet,
Quas metus abegit, jamq; Neptuno sacer,
Crinem solutus, omne Laucoon replet
Clamore vulgus; mox reducta cuspide
Vterum notavit: fata sed tardant manus,
Ictusque resilit, & dolis addit fidem.
Iterum tamen confirmat invalidam manum,
Altaque bipenni latera pertemptat. Fremit
Captiva pubes intus, & dum murmurat,
Roborea moles spirat alieno metu.
Ibat juventus capta, dum Trojam capit,
Bellumque totum fraude ducebat nova.
Ecce alia monstra. Celsa qua Tenedos mare
Dorso repellit, tumida consurgunt freta,

Vndaque resultat scissa tranquillo minor.
Qualis silenti nocte remorum sonus
Longe refertur, cùm premunt classes mare,
Pulsumq; marmor abiete imposita gemit.
Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad saxa fluctus: tumida quorum pectora,
Rates ut altæ, lateribus spumas agunt:
Dant caudæ sonitum: liberæ ponto jubæ
Consentiunt luminibus, fulmineum jubar
Incendit æquor, sibilisque undæ tremunt,
Stupuere mentes. Infulis stabant Sacri
Phrygioque cultu gemina nati pignora
Laocoonte, quos repentè tergoribus ligant
Angues corusci: parvulas illi manus
Ad ora referunt: neuter auxilio sibi,
Vterque fratri transtulit pias vices,
Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberûm funus parens;
Infirmus auxiliator; invadunt virum
Jam morte pasti, membraque ad terram trahunt.
Jacet sacerdos inter aras victima,
Terramque plangit. Sic profanis sacris,
Peritura Troja perdidit primùm deos.
Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens astra radianti face,
Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant clostra, & effundunt viros,

Temptant in armis se duces, ceu uti solet
Duro remissus Thessali quadrupes jugo
Cervicem, & altas quatere ad excursum jubas.
Gladios retractant, commovent orbes manu,
Bellumque sumunt. Hìc graves alius mero
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos, ab aris alius accendit faces,
Contraque Troas invocat Trojæ sacra.

Ex his, qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt. At ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput, extraque templum profugit. Timui ego, ne me Poëtam vocarent. Itaque subsecutus fugientem ad littus perveni: &, ut primùm extra teli conjectum licuit consistere, Rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minùs quàm duabus horis mecum moraris, & sæpius Poëticè, quam humanè locutus es. Itaque non miror, si te populus lapidibus prosequitur. Ego quoque sinum meum saxis onerabo, ut quotiescumque cœperis à te exire, sanguinem tibi à capite mittam. Movit ille vultum, &, O mi, inquit, adolescens, non hodie primum auspicatus sum: imò quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitia excipere fre-

quentia ſolet. Cæterùm, ne & tecum quoque habeam rixandum toto die, me ab hoc cibo abſtinebo. Imò, inquam ego, ſi ejuras hodiernam bilem, unà cœnabimus. * mando ædiculaium cuſtodi cœnulæ officium. * * Video Gitona cum linteis & ſtrigilibus parieti applicitum, triſtem confuſumque. Scires non libenter ſervire. Itaque, ut experimentum oculorum caperem, convertit ille ſolutum gaudio vultum, & Miſerere, inquit, frater: ubi arma non ſunt, liberè loquor: Eripe me latroni cruento, & qualibet ſævitia pœnitentiam judicis tui puni. Satis magnum erit miſero ſolatium, tua voluntate cecidiſſe. Supprimere ego querelam jubeo, ne quis conſilia deprehenderet: relictoque Eumolpo (nam in balneo carmen recitabat) per tenebroſum & ſordidum egreſſum extraho Gitona, raptimq; in hoſpitium meum pervolo. Præcluſis deinde foribus, invado pectus amplexibus, & perfuſum os lacrymis vultu meo contero. Diu vocem neuter invenit: nam puer etiam ſingultibus crebris amabile pectus quaſſaverat. O facinus, inquam, indignum! Quod amo te quamvis relictus; & in hoc pectore, cum vulnus ingens fuerit, cicatrix non eſt. Quid dicis peregrini amoris conceſſio? Dignus hac injuria fui? Poſtquam ſe amari ſenſit, ſu-

percilium altius ſuſtulit. * nec amoris arbitrium ad alium judicem tuli; Sed nihil jam queror, nihil jam memini, ſi bona fide pœnitentiam emendas. Hæc cum inter gemitus lacrymaſque fudiſſem, deterſit ille pallio vultum, &, Quæſo, inquit, Encolpi, fidem memoriæ tuæ appello: Ego te reliqui, an tu prodidiſti? Equidem fateor, & præ me fero, cùm duos armatos viderem, ad fortiorem confugi. Exoſculatus pectus ſapientia plenum, injeci cervicibus manus: & ut facilè intelligeret, rediiſſe me in gratiam, & optima fide reviviſcentem amicitiam toto pectore adſtrinxi. Et jam plena nox erat, mulierque cœnæ mandata curaverat, cum Eumolpus hoſtium pulſat. Interrogo ego, Quot eſtis? obiterque per rimam foris ſpeculari diligentiſſimè cœpi, num Aſcyltos unà veniſſet. Demum, ut ſolum hoſpitem vidi, momento recepi. Ille ſe ut in grabatum rejecit, viditque Gitona in conſpectu miniſtrantem, movit caput, &, Laudo, inquit, Ganymedem: oportet hodie bene ſit. Non delectavit me tam curioſum principium, timuique ne in contubernium recepiſſem Aſcylti parem. Inſtat Eumolpus, & cùm puer illi potionem dediſſet; Malo te, inquit, quam balneum totum: ſiccatoque avidè poculo, negat ſibi umquam acidius

fuisse: Nam & dum lavor, ait, penè vapulavi, quia conatus sum circa solium sedentibus carmen recitare: & postquam de balneo tanquam de theatro ejectus sum, circuire omnes angulos cœpi, & clara voce Encolpion clamitare. Ex altera parte juvenis nudus, qui vestimenta perdiderat, non minore clamoris indignatione Gitona flagitabat. Et me quidem pueri, tanquam insanum, imitatione petulantissima deriserunt: illum autem frequentia ingens circumvenit cum plausu & admiratione timidissima. Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes. O juvenem laboriosum! puto illum pridie incipere, postero die finire. Itaque statim invenit auxilium. nescio quis enim Eques Romanus, ut aiebant, infamis, sua veste errantem circumdedit, ac domum abduxit: credo, ut tam magna fortuna solus uteretur. At ego ne mea quidem vestimenta ab officioso recepissem, nisi notorem dedissem. Tantò magis impedit inguina quàm ingenia fricare. Hæc Eumolpo dicente, mutabam ego frequentissimè vultum: injuriis scilicet, inimici nostri hilaris, commodis tristis. Utcumque tamen, tanquam non agnoscerem fabulam, tacui, & cœnæ ordinem explicui. * *

Vile eſt, quod licet, & animus errore lentus injurias diligit.

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mi placet parata.
Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres palato,
Quod non ſunt faciles: at albus anſer,
Et pictis anas enovata pennis,
Plebeium ſapit. Vltimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit probatur.
Mullus jam gravis eſt: amica vincit
Vxorem: roſa cinnamum veretur.

Quidquid quæritur, optimum videtur. Hoc eſt, inquam, quod promiſeras, ne quem hodie verſum faceres? Per fidem, ſaltem nobis parce, qui te nunquam lapidavimus. Nam ſi aliquis ex his, qui in eodem ſynœcio potant, nomen Poëtæ olfecerit, totam concitabit viciniam, & nos omnes ſub eadem cauſa obruet. Miſerere, & aut pinacothecam, aut balneum cogita. Sic me loquentem objurgavit Giton mitiſſimus puer, & negavit rectè facere, quod ſeniori convitiarer: ſimulque oblitus officii, menſam, quam humanitate poſuiſſem, contumelia tollerem, multaque alia moderationis verecundiæque verba, quæ formam ejus egregiè decebant. * O felicem, inquit, matrem tuam, quæ te talem peperit! Ma-

cte virtute esto. Raram facit misturam cum sapientia forma. Itaque, ne putes te tot verba perdidisse, amatorem invenisti. Ego laudes tuas carminibus implebo. Ego pædagogus, & custos etiam quo non jusseris, sequar: nec injuriam Encolpius accipit, alium amat. Profuit etiam Eumolpo miles ille, qui mihi abstulit gladium, alioquin quem animum adversus Ascylton sumpseram, eum in Eumolpi sanguinem exercuissem. Nec fefellit hoc Gitona. Itaque extra cellam processit, tanquam aquam peteret, iramque meam prudenti absentia extinxit. Paululùm ergo intepescente sævitia, Eumolpe, inquam, jam malo vel carminibus loquaris quam ejusmodi tibi vota proponas: & ego iracundus sum, & tu libidinosus; vide quàm non conveniat his moribus. Puta igitur me furiosum esse: cede insaniæ, id est, ociùs foras exi. Confusus hac denuntiatione Eumolpus, non quæsiit iracundiæ causam, sed continuè limen egressus, obduxit repentè hostium cellæ, meque nihil tale expectantem inclusit, exemitque raptim clavem, & ad Gitona investigandum cucurrit. Inclusus ego suspendio vitam finire constitui: & jam semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram, cervicesque nodo condebam, cum reseratis

foribus intrat Eumolpus cum Gitone, meque à fatali jam meta revocavit ad lucem. Giton præcipuè ex dolore in rabiem efferatus, tollit clamorem, me utraque manu impulsum præcipitat super lectum. Erras, inquit, Encolpi, si putas contingere posse, ut ante moriaris. Prior cœpi, in Ascylti hospitio gladium quæsivi. Ego, si te non invenissem, periturus per præcipitia fui: & ut scias, non longè esse quærentibus mortem, specta invicem, quod me spectare voluisti. Hæc locutus, mercenario Eumolpi novaculam rapit, & semel iterumque cervice percussa, ante pedes collabitur nostros. Exclamo ego attonitus, secutusque labentem, eodem ferramento ad mortem viam quæro. Sed neque Giton ulla erat suspicione vulneris læsus, neque ego ullum sentiebam dolorem. Rudis enim novacula, & in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret, instruxerat thecam. Ideoque nec mercenarius ad raptum ferramentum expaverat, nec Eumolpus interpellaverat mortem mimicam. Dum hæc fabula inter amantes luditur, diversitor cum parte cœnulæ intervenit, contemplatusque fœdissimam jacentium volutationem, Rogo, inquit, ebrii estis, an fugitivi, an utrumque? quis autem grabatum illum erexit? aut

quid ſibi vult tam furtiva molitio? Vos, me-Hercules, ne mercedem cellæ daretis, fugere nocte in publicum voluiſtis; ſed non impunè. jam enim faxo ſciatis non viduæ hanc inſulam eſſe, ſed M. Manicii. Exclamat Eumolpus, Etiam minaris? ſimulque os hominis palma excuſſiſſima pulſat. Ille tot hoſpitum potionibus liberum urceolum futilem in Eumolpi caput jaculatus eſt, ſolvitque clamantis frontem, & de cella ſe proripuit. Eumolpus contumeliæ impatiens rapit ligneum candelabrum, ſequitur abeuntem, & creberrimis ictibus ſupercilium ſuum vindicat. Fit concurſus familiæ, hoſpitumque ebriorum frequentia. Ego autem nactus occaſionem vindictæ, Eumolpum excludo, redditaque ſcordalo vice, ſine æmulo ſcilicet, & cella utor & nocte. Interim coctores, inſulariique mulcant excluſum, & alius veru extis ſtridentibus plenum in oculos ejus intentat: alius, furca de carnario rapta, ſtatum præliantis componit: anus præcipuè lippa, ſordidiſſimo linteo præcincta, ſoleis ligneis imparibus impoſita, canem ingentis magnitudinis catena trahit, inſtigatque in Eumolpum. Sed ille candelabro ſe ab omni periculo vindicabat. Videbamus nos omnia per foramen valvæ, quod paulò ante anſa hoſtii diſrupta laxaverat, fa-

vebamque ego vapulanti. Giton autem non oblitus misericordiæ suæ, reserandum hostium, succurrendumque periclitanti censebat. Ego, durante adhuc iracundia, non continui malum, sed caput miserantis stricto acutoque articulo percussi. & ille flens quidem consedit in lecto: ego autem alternos opponebam foramini oculos, injuriæque Eumolpi advocationem commodabam, & veluti quodam cibo me replebam: cùm Procurator insulæ Bargates à cœna excitatus, à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur: nam erat etiam pedibus æger. Is, ut rabiosa barbaraque voce in ebrios fugitivosque diu peroravit, respiciens ad Eumolpum, O Poëtarum, inquit, disertissime, tu eras? & non discedunt ociùs nequissimi servi, manusque continent à rixa? *

Contubernalis mea mihi fastum facit. Ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem. * *

Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat stabulum præco cum servo publico, aliaque sanè modica frequentia, facemque fumosam magis quàm lucidam quassans, hæc proclamavit: Puer in balneo paulò antè aberravit, annorum circa XVI. crispus, mollis, formosus, nomine Giton: Si quis eum

reddere, aut commonſtrare voluerit, accipiet nummos mille. Nec longè à præcone Aſcyltos ſtabat amictus diſcoloria veſte, atque in lance argentea indicium, & fidem præferebat. Imperavi Gitoni, ut raptim grabatum ſubiret; annecteretque pedes & manus inſtitis, quibus ſponda culcitam ferebat: ac, ſicut olim Ulyxes pro ariete adhæſiſſet, extentus infra grabatum ſcrutantium eluderet manus. Non eſt moratus Giton imperium, momentoque temporis inſeruit vinculo manus, & Ulyxem aſtu ſimillimo vicit. Ego, ne ſuſpicioni relinquerem locum, lectulum veſtimentis implevi, uniuſque hominis veſtigium ad corporis mei menſuram figuravi. Interim Aſcyltos, ut pererravit omnes cum viatore cellas, venit ad meam: & hoc quidem pleniorem ſpem concepit, quò diligentius oppeſſulatas invenit fores. Publicus verò ſervus, inſertans commiſſuris ſecures, clauſtrorum firmitatem laxavit. Ego ad genua Aſcylti procubui, & per memoriam amicitiæ, perque ſocietatem miſeriarum, petii ut ſaltem oſtenderet fratrem; imò, ut fidem haberent fictæ preces, ſcio te, inquam, Aſcylte, ad occidendum me veniſſe: quò enim ſecures attuliſti? Itaque ſatia iracundiam tuam: præbeo ecce cervicem, funde ſanguinem, quem ſub

prætextu quæstionis petiisti. Amolitur Ascyltos invidiam; &, Se verò nihil aliud quàm fugitivum suum dixit quærere; mortem nec hominis concupisse, nec supplicis; utique ejus, quem post fatalem rixam habuit carissimum. At non servus publicus tam languidè agit, sed raptam cauponi harundinem subter lectum mittit, omniaque etiam foramina parietum scrutatur. Subducebat Giton ab ictu corpus, & reducto timidissimè spiritu ipsos cimices ore tangebat. Eumolpus autem, quia effractum hostium cellæ neminem poterat excludere, irrumpit perturbatus, &, Mille, inquit, nummos inveni: jam enim persequar abeuntem præconem, &, in potestate sua esse Gitonem, meritissima propositione monstrabo. Genua ego perseverantis amplector, ne morientes vellet occidere: &, Meritò, inquam, excandesceres, si posses proditum ostendere. Nunc inter turbam puer fugit, nec quò abierit, suspicari possum. Per fidem, Eumolpe, reduc puerum, & vel Ascylto redde. Dum hæc ego jam credenti persuadeo, Giton, conlectione spiritus plenus, ter continuò ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, salvere Gitona jubet. Remota etiam culcita videt Ulyxem, cui vel esuriens Cy-

clops potuisset parcere. Mox conversus ad me, Quid est, inquit, latro? Ne deprehensus quidem ausus es mihi verum dicere? Imo, ni Deus quidam humanaium rerum arbiter pendenti puero excussisset indicium, elusus circa popinas errarem. * Giton longè blandior, quàm ego, primùm araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, coartavit, mox palliolo suo laceratam mutavit vestem, amplexusque jam mitigatum, osculis tanquam fomentis aggressus est: &, in tua, inquit, pater carissime, in tua sumus custodia. Si Gitona tuum amas, incipe velle servare. Utinam me solum inimicus ignis hauriret! utinam hibernum invaderet mare! Ego enim omnium scelerum materia: ego causa sum. Si perirem, conveniret inimicis. * *

Ego sic semper, & ubique vixi, ut ultimam quamque lucem, tanquam non redituram consumerem. * *

Profusis ego lacrumis rogo, quæsoque, ut mecum quoque redeat in gratiam: neque enim in amantium esse potestate furiosam æmulationem: daturum tamen operam, ne aut dicam, aut faciam amplius, quo possit offendi. Tantùm omnem scabitudinem animo, tamquam bonarum artium magister, deleret sine cicatrice.

Incultis aſperiſque regionibus diutius nives hærent : aſt ubi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira conſidit : feras quidem mentes obſidet, eruditas prælabitur. Ut ſcias, inquit Eumolpus, verum eſſe quod dicis, ecce etiam oſculo iram finio : itaque, quod bene eveniat, expedite ſarcinulas, vel ſequimini me, vel ſi mavultis, ducite. Adhuc loquebatur, cùm crepuit hoſtium impulſum, ſtetitque in limine barbis horrentibus nauta. Et, Moraris, inquit, Eumolpe tanquam prope diem ignores. Haud mora, omnes conſurgimus, &, Eumolpus quidem mercenarium ſuum, jam olim dormientem, exire cum ſarcinis jubet : Ego cum Gitone quidquid erat, in altum compono, & adoratis Sideribus intro navigium. * * Moleſtum, quod puer hóſpiti placet ? Quid autem, non commune eſt, quod natura optimum fecit ? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata ſideribus, etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formoſius poteſt ? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potius, quàm præmium, erit ? Imò verò nolo habere bona, niſi quibus populus inviderit. vietus, & ſenex non erit gravis : etiam cùm voluerit aliquid ſumere, opus anhelitu per-

det. Hoc ut infra fiduciam poſui, fraudavique animum diſſidentem, cœpi ſomnum obruto tunicula capite mentiri. Sed repentè quaſi deſtruente fortuna conſtantiam meam, ejuſmodi vox ſuper conſtratum puppis congemuit: Ergo me deriſit? At hæc quidem virilis, & penè auribus meis familiaris animum palpitantem percuſſit. Cæterùm eadem indignatione mulier lancinata ulterius excanduit, &, Si quis Deus manibus meis, inquit, Gitona imponeret, quàm bene exulem exciperet! Uterque noſtrûm tam inexpectato ictus ſono amiſerat ſanguinem. Ego præcipuè, quaſi ſomnio quodam turbulento circumamictus diu vocem conlegi, tremuliſque manibus Eumolpi, jam in ſoporem labentis, laciniam duxi, &, per fidem, inquam, pater, cujus hæc navis eſt, aut quos vehat, dicere potes? Inquietatus ille moleſtè tulit; &, Hoc erat, inquit, quod placuerat tibi, ut ſuper conſtratum navis, occuparemus ſecretiſſimum locum, ne nos patereris requieſcere? Quid porro ad rem pertinet, ſi dixero, Lycam Tarentinum eſſe dominum hujuſce navigii, qui Tryphænam exulem Tarentum ferat? Intremui poſt hoc fulmen attonitus, juguloque detecto, Aliquando, inquam, totum me Fortuna viciſti. Nam Giton quidem ſuper meum pectus

positus, animam egit; deinde ut effusus sudor utriusque spiritum revocavit, comprehendi Eumolpi genua, Miserere, inquam, morientium, id est, pro consortio studiorum commoda manum. Mors venit, quæ, nisi per te licet, potest esse pro munere. Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat per deos deasque, se neque scire, quid acciderit; nec ullum dolum malum consilio adhibuisse, sed mente simplicissima, & vera fide in navigium comites induxisse, quo ipse jam pridem fuerit usurus. Quæ autem hîc insidiæ sunt? inquit, aut quis nobis Hannibal navigat? Lycas Tarentinus homo verecundissimus, & non tantùm hujus navigii dominus, quod regit, sed fundorum etiam aliquot, & familiæ negotiantis, onus deferendum ad mercatum conduxit. Hic est Cyclops ille, & archipirata, cui vecturam debemus: & præter hunc Tryphæna omnium feminarum formosissima, quæ voluptatis causâ huc atque illuc vectatur. Hi sunt, inquit Giton, quos fugimus: simulque raptim causas odiorum, & instans periculum trepidanti Eumolpó exponit. Confusus ille, & consilii egens jubet quemque suam sententiam proponere: &, Fingite, inquit, nos antrum Cyclopis intrasse. Quærendum est aliquod effugium, nisi naufragium ponimus, &

omni nos periculo liberamus. Imò, inquit, Giton, persuade gurbernatori, ut in aliquem portum navem deducat, non sine præmio scilicet; & affirma ei, impatientem maris fratrem tuum in ultimis esse. Poteris hanc simulationem & lacrumis, & vultus confusione obumbrare, ut misericordia permotus gubernator indulgeat tibi. Negavit hoc Eumolpus fieri posse; quia magna, inquit, navigia portibus se gravatim insinuant; nec tam citò fratrem defecisse, verisimile erit. Accedit his, quod forsitan Lycas officii causa visere languentem desiderabit. Vides, quàm valde nobis expediat, ultro dominum ad fugientes accedere. Sed finge, navem ab ingenti posse cursu deflecti, & Lycam non utique circumiturum ægrorum cubilia; quomodo possumus egredi nave, ut non conspiciamur à cunctis? opertis capitibus, an nudis? Opertis, & quis non dare manum languentibus volet? Nudis. Et quid erit aliud, quàm seipsos proscribere? Quin potius, inquam ego, ad temeritatem confugimus, & per funem lapsi descendimus in scapham, præcisoque vinculo, reliqua Fortunæ committimus? Nec ego in hoc periculum Eumolpum arcesso. Quid enim attinet, innocentem alieno periculo imponere? Contentus sum, si nos descendentes adjuverit casus.

Non imprudens consilium, inquit Eumolpus, si aditum haberet. Quis enim non euntes notabit? Utique gubernator, qui pervigil nocte siderum quoque motus custodit. Et utcumque imponi vel dormienti posset, si per aliam partem navis fuga quæreretur: nunc per puppim, per ipsa gubernacula dilabendum est, à quorum regione funis descendit, qui scaphæ custodiam tenet. Præterea illud miror, Encolpi, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque jacere in scapha, nec posse inde custodem, nisi aut cæde expelli, aut præcipitari viribus. Quod an fieri possit, interrogate audaciam vestram. Nam quod ad meum quidem comitatum attinet, nullum recuso periculum, quod salutis spem ostendit. Nam sine causa quidem spiritum tanquam rem vacuam impendere, nec vos quidem existimo velle. Videte numquid hoc placeat. Ego vos in duas jam pelles conjiciam, vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habeo, apertis scilicet aliquatenus labris, quibus & spiritum recipere possitis, & cibum. Conclamabo deinde nocte servos pœnam graviorem timentes præcipitasse se in mare: deinde cùm ventum fuerit in portum, sine ulla suspicione pro sarcinis vos efferam. Ita verò, inquam ego, tanquam

ſolidos alligaturus, quibus non ſoleat venter injuriam facere, an tanquam eos, qui ſternutare non ſoleamus, nec ſtertere? an quia hoc genus furti ſemel mihi feliciter ceſſit? Sed finge una die vinctos poſſe durare: quid ergo ſi diutius, aut tranquillitas nos tenuerit, aut adverſa tempeſtas, quid facturi ſumus? veſtes quoque diutius vinctas ruga conſumit, & cartæ alligatæ mutant figuram. Juvenes adhuc laboris expertes, ſtatuarum ritu patiemur pannos & vincula? Adhuc aliud aliquod iter ſalutis quærendum eſt. Inſpicite quod ego inveni. Eumolpus tanquam literarum ſtudioſus utique atramentum habet. Hoc ergo remedio mutemus colores à capillis uſque ad ungues. Ita tanquam ſervi Æthiopes, & præſto tibi erimus ſine tormentorum injuria hilares, & permutato colore imponemus inimicis. Quin tu, inquit Giton, & circumcide nos, ut Judæi videamur: & pertunde aures, ut imitemur Arabes, & increta facies, ut ſuos Gallia cives putet: tanquam hic ſolus color figuram poſſit pervertere, & non multa una oportet conſentiant, & non natione mendacium conſtet. Puta infectam medicamine faciem diutius durare poſſe: finge nec aquæ aſperginem impoſituram aliquam corpori maculam, nec veſtem atramento ad-

hæſuram, quod frequenter etiam non accerſito ferrumine infigitur: age, numquid & labra poſſumus tumore teterrimo implere? numquid & crines calamiſtro convertere? numquid & frontes cicatricibus ſcindere? numquid & crura in orbem pandere? numquid & talos ad terram deducere? numquid barbam peregrina ratione figurare? Color arte compoſitus inquinat corpus, non mutat. Audite quid dementi ſuccurrerit. Præligemus veſtibus capita, & nos in profundum mergamus. Nec iſtud dii homineſque patiantur, Eumolpus exclamat, ut vos tam turpi exitu vitam finiatis. Imò potiùs facite quod jubeo: Mercenarius meus, ut ex novacula comperiſtis, tonſor eſt: hic continuò radat utriuſque non ſolùm capita, ſed etiam ſupercilia. ſequar ego, frontes notans inſcriptione ſolerti, ut videamini ſtigmate eſſe puncti. Ita eædem literæ, & ſuſpicionem declinabunt quærentium, & vultus umbra ſupplicii teget. Non eſt dilata fallacia, ſed ad latus navigii furtim proceſſimus, capitaque cum ſuperciliis denudanda tonſori præbuimus. Implevit Eumolpus frontes utriuſque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit. Unus fortè ex vectoribus, qui adclinatus lateri navis

navis exonerabat ſtomachum nauſea gravem, notavit ſibi ad Lunam tonſorem intempeſtivo inhærentem miniſterio, exſecratuſque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus eſt. Nos diſſimulata nauſeantis devotione, ad ordinem triſtitiæ redimus, ſilentioque compoſito, reliquas noctis horas malè ſoporati conſumpſimus. * *

Videbatur mihi ſecundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quem quæris, ſcito à me in navem tuam eſſe perductum. Exhorruit Tryphæna: &, Putes, inquit, unà nos dormiiſſe: nam & mihi ſimulachrum Neptuni, quod Bajis ter ſtylo notaveram, videbatur dicere, in navi Lycæ Gitona invenies. Hinc ſcies, inquit Eumolpus, Epicurum hominem eſſe divinum, qui ejuſmodi ludibria facetiſſima ratione condemnat.

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab æthere numina mittunt.
Sed ſibi quiſque facit. Nam cùm proſtrata ſopore
Vrget membra quies, & mens ſine pondere ludit:
Quidquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello

Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes;
Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent; legesque forumque,
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit. Eripit undis,
Aut premit eversam periturus Navita puppim.
Scribit amatori meretrix. Dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Cæterùm Lycas ut Tryphænæ somnium expiavit, Quis, inquit, prohibet navigium scrutari, ne videamur divinæ mentis opera damnare? Is, qui nocte miserorum furtum deprehenderat, Æsius nomine, subitò proclamat, Ergo illi, qui sunt, qui nocte ad Lunam radebantur? pessimo, medius-fidius, exemplo. Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues, neque capillos deponere, nisi cùm pelago ventus irascitur. Excanduit Lycas hoc sermone turbatus; &, Itane, inquit, capillos aliquis in nave præcîdit, & hoc nocte intempesta? attrahite ociùs nocentes in medium,

ut ſciam quorum capitibus debeat navigium luſtrari. Ego, inquit Eumolpus, hoc juſſi, nec non eodem futurus navigio auſpicium mihi feci: quia nocentes horridos longoſque capillos, ne viderer de nave carcerem facere, juſſi ſqualorem damnatis auferri: ſimul ut notæ quoque literarum, non adumbratæ comarum præſidio, totæ ad oculos legentium accederent. Inter cætera apud communem amicam conſumpſerunt pecuniam meam, à qua illos proxima nocte extraxi mero unguentiſque perfuſos. Ad ſummam, adhuc patrimonii mei reliquias olent. Itaque ut Tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utriſque plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos furentes Nautæ cum funibus, tentantque viliſſimo ſanguine Tutelam placare. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi: Cæterùm Giton ſemel ictus tam valde exclamavit, ut Tryphænæ aures notiſſima voce repleret. Non ſolùm ergo turbata eſt, ſed ancillæ quoque omnes familiari ſono inductæ ad vapulantem decurrunt. Jam Giton mirabili forma exarmaverat Nautas, cœperatque etiam ſine voce ſævientes rogare, cùm ancillæ pariter proclamant; Giton eſt, Giton, inhibete crudeliſſimas manus, Giton eſt, domina ſuccurre. Deflectit aures Tryphæ-

na jam ſua ſponte credentes, raptimque ad puerum devolat. Lycas, qui me optimè noverat, tanquam & ipſe vocem audiſſet, accurrit: & nec manus, nec faciem meam conſideravit, ſed continuò ad inguina mea luminibus deflexis, movit officioſam manum: &, Salve, inquit, Encolpi. Miretur nunc aliquis, Ulyxis nutricem poſt viceſimum annum cicatricem inveniſſe originis indicem, cùm homo prudentiſſimus confuſis omnibus corporis indiciorumque lineamentis, ad unicum fugitivi argumentum tam doctè pervenerit. Tryphæna lacrumas effudit, decepta ſupplicio: vera enim ſtigmata credebat captivorum frontibus impreſſa, ſciſcitarique ſubmiſſiùs cœpit, Quod ergaſtulum intercepiſſet errantes? aut cujus tam crudeles manus in hoc ſupplicium duraſſent? Meruiſſe quidem contumeliam aliquam fugitivos, quibus in odium bona ſua veniſſent. Concitatus iracundia proſiliit Lycas, &, O te, inquit, feminam ſimplicem! tanquam vulnera ferro præparata literas biberint. Utinam quidem hac ſe inſcriptione frontis maculaſſent! haberemus nos extremum ſolatium. Nunc mimicis artibus petiti ſumus, & adumbrata inſcriptione deriſi. Volebat Tryphæna miſereri, quia non totam voluptatem perdiderat: Sed Lycas memor ad-

huc uxoris corruptæ contumeliarumque, quas in Herculis porticu acceperat, turbato vehementius vultu proclamat: Deos immortales rerum humanarum agere curam, puto, intellexiſti, ô Tryphæna! nam imprudentes noxios in noſtrum induxere navigium, & quid feciſſent, admonuerunt pari ſomniorum conſenſu. Ita vide ut proſit, illis ignoſci, quos ad pœnam ipſe Deus deduxit. Quod ad me attinet, non ſum crudelis, ſed vereor ne quod remiſero, patiar. Tam ſuperſtitioſa oratione Tryphæna mutata negat ſe interpellare ſupplicium, imò accedere etiam juſtiſſimæ ultioni: nec ſe minùs grandi vexatã injuria, quàm Lycam, cujus pudoris dignitas in concione proſcripta ſit.* *

Me utpote hominem non ignotum elegerunt ad hoc officium, petieruntque ut ſe reconciliarem aliquando amiciſſimis. * Niſi fortè putatis juvenes caſu in has plagas incidiſſe, cùm omnis vector nihil priùs quærat, quàm cujus ſe diligentiæ credat. Flectite ergo mentes ſatisfactione lenitas, & patimini liberos homines ire ſine injuria, quò deſtinant. Sævi quoque implacabileſque domini crudelitatem ſuam impediunt, ſi quando pœnitentia fugitivos reduxit; & dedititiis hoſtibus parcimus. Quid ultra petitis? Aut quid vultis? In conſpectu veſtro ſupplices ja-

cent, juvenes, ingenui, honesti, &, quod utroque potentius est, familiaritate vobis aliquando conjuncti. Si, me-Hercules, intervortissent pecuniam vestram, si fidem proditione læsissent; satiari tamen potuissetis hac pœna, quam videtis. Servitia ecce in frontibus cernitis, & vultus ingenuos voluntaria pœnarum lege proscriptos. Interpellavit deprecationem supplicis Lycas, &, Noli, inquit, causam confundere, sed impone singulis modum. Ac primum omnium, si ultro venerunt, cur nudavere crinibus capita? vultum enim qui permutat, fraudem parat, non satisfactionem. Deinde si gratiam à legato moliebantur, quid ita omnia fecisti, ut quos tuebaris, absconderes? Ex quo apparet casu incidisse noxios in plagas, & te artem quæsisse, qua nostræ animadversionis impetum eluderes. Nam quod invidiam facis nobis, ingenuos honestosque clamando, vide ne deteriorem facias confidentia causam. Quid debent læsi facere, ubi rei ad pœnam confugiunt? At enim amici fuerunt nostri, eò majora meruerunt supplicia. Nam qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos, paulò minùs quàm parricida. Resolvit Eumolpus tam iniquam declamationem, &, Intelligo, inquit, nihil magis obesse juvenibus miseris, quàm quod nocte deposue-

runt capillos: hoc argumento incidisse in navem videntur, non venisse. Quod velim, tam candidè ad vestras aures perveniat, quàm simpliciter gestum est. Voluerunt enim, antequam conscenderent, exonerare capita molesto & supervacuo pondere, sed celerior ventus distulit curationis propositum. Nec tamen putaverunt ad rem pertinere, ubi inciperent, quod placuerat ut fieret: quia nec omen, nec legem navigantium noverant. Quid, inquit Lycas, attinuit supplices radere? nisi fortè miserabiliores calvi solent esse. Quanquam quid attinet, veritatem per interpretem quærere? Quid dicis tu latro? quæ Salamandra supercilia tua excussit? Cui Deo crinem vovisti? Pharmace, responde. Obstupueram ego supplicii metu pavidus, nec quid in re manifestissima dicerem, inveniebam. Turbatus & defoimis præter spoliati capitis dedecus, superciliorum etiam æqualis cum fronte calvities, ut nihil nec facere deceret, nec dicere. Ut verò spongia uda facies plorantis detersa est, & liquefactum per totum os atramentum, omnia scilicet lineamenta fuliginea nube confudit, in odium se ira convertit. Negat Eumolpus passurum se ut quisquam ingenuos contra fas legemque contaminet, interpellatque * sævientium minas, non solùm voce, sed

& manibus. Aderat interpellanti mercenarius comes, & unus, alterque infirmissimus vector, solatia magis litis, quàm virium auxilia. Nec quidquam pro me deprecabar, sed intentans in oculos Tryphænæ manus, usurum me viribus meis clara liberaque voce clamavi, nî abstineret à Gitone injuriam mulier damnata, & in toto navigio sola verberanda. Accenditur audacia mea iratior Lycas, indignaturque, quòd ego relictâ meâ causâ tantùm pro alio clamo. Nec minùs Tryphæna contumelia sævit accensa, totiusque navigii turbam diducit in partes. Hinc mercenarius tonsor ferramenta sua nobis, & ipse armatus, distribuit: illinc Tryphænæ familia nudas expedit manus. Ac ne ancillarum quidem clamor aciem destituit, uno tantùm gubernatore relicturum se navis ministerium denunciante, si non desinat rabies libidine perditorum conlecta. Nihilominus tamen perseverat dimicantium furor; illis pro ultione, nobis pro vita pugnantibus. Multi ergo utrinque semimortui labuntur, plures cruenti vulneribus referunt veluti ex prælio pedem: nec tamen cujusquam ira laxatur. Tunc fortissimus Giton ad virilia sua admovit novaculam infestam, minatus se abscissurum tot miseriarum causam: Inhibuitque Tryphæna tam grande

facinus, non dissimulatâ missione. Sæpius ego cultrum tonsorium super jugulum meum posui, non magis me occisurus, quàm Giton, quod mirabatur, facturus. Audaciùs ille tamen tragœdiam implebat, quia sciebat se illam habere novaculam, quam jam sibi cervicem præciderat. Stante ergo utraque acie, cùm appareret, futurum non stlatarium bellum, ægrè expugnavit gubernator, ut caduceatoris more Tryphæna inducias faceret. Data ergo, acceptaque, patrio more, fide, protendit ramum oleæ à Tutela navigii raptum, atque in conloquium venire ausa:

Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?
Quid nostræ meruere manus? non Troïus hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridæ.
Nec Medea furens fraterno sanguine pugnat.
Sed contemptus amor vires habet, & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis evocat armis?
Cui non est mors una satis? ne vincite pontum,
Gurgitibusque feris altos immittite fluctus.

Hæc ut turbato clamore mulier effudit, hæsit paulisper acies, revocatæque ad pacem manus intermisere bellum: Uti-

tur pœnitentiæ occaſione dux Eumolpus, & caſtigato ante vehementiſſimè Lyca, tabulas fœderis ſignat, queis hæc formula erat: Ex tui animi ſententia, ut tu, Tryphæna, neque injuriam tibi factam à Gitone querêris, neque ſi quid ante hunc diem factum eſt, objicies, vindicabiſve, aut ullo alio genere perſequendum curabis: & ut nihil imperabis puero repugnanti, non amplexum, non oſculum, non coïtum Venere conſtrictum, niſi pro quaque re preſentes numeraveris denarios centum. Item Lyca, ex tui animi ſententia, ut tu Encolpion nec verbo contumelioſo inſequêris, nec vultu, neque quæres, ubi nocte dormiat; aut ſi quæſieris, pro ſingulis injuriis numerabis præſentes denarios ducentos. In hæc verba fœderibus compoſitis arma deponimus: & ne reſidua in animis etiam poſt jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri oſculis placet. Exhortantibus univerſis odia detumeſcunt; epulæque ad certamen prolatæ conciliant hilaritate convivium. Exſonat ergo cantibus totum navigium, & quia repentina tranquillitas intermiſerat curſum, alius exultantes quærebat fuſcina piſces: alius hamis blandientibus convellebat prædam repugnantem. Ecce etiam per antemnam pelagiæ conſederant volucres, quas textis arundinibus

peritus artifex tetigit. Illæ viscatis illigatæ viminibus deferebantur ad manus, Tollebat plumas aura volitantes, pinnasque per maria inanis spuma torquebat. Jam Lycas redire mecum in gratiam cœperat; jam Tryphæna Gitona extrema parte potionis spargebat, cùm Eumolpus & ipse vino solutus dicta voluit in calvos stigmososque jaculari: donec consumpta frigidissima urbanitate, rediit ad carmina sua; cœpitque capillorum elegidarion dicere.

Quod summum formæ decus est, cecidere capilli:
Vernantesque comas tristis abegit hiems.
Nunc umbra nudata sua jam tempora mœrent:
Areaque attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura Deûm! quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.
Infelix, modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior, & Sorore Phœbi:
At nunc lævior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis, & times puellas.
Vt mortem citiùs venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.

Plura volebat proferre, credo & ineptiora præteritis, cùm ancilla Tryphænæ Gitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat ca-

put. Imò ſupercilia etiam proferr de pyxide, ſcitéque jacturæ lineamenta ſecuta, totam illi formam ſuam reddidit. Agnovit Tryphæna, verum Gitona: lacrymiſque turbata tunc primum bona fide puero baſium dedit. Ego, etiamſi repoſitum in priſtinum decorem puerum gaudebam, abſcondebam tamen frequentius vultum, intelligebamque non tralatitia deformitate eſſe inſignitum, quem alloquio dignum nec Lycas quidem crederet. Sed huic triſtitiæ eadem illa ſuccurrit ancilla, ſevocatumque me non minùs decoro exornavit capillamento: imò commendatior vultus enituit, quia flavicomum corymbion erat. Cæterùm Eumolpus, & periclitantium advocatus, & præſentis concordiæ auctor, ne ſileret ſine fabulis hilaritas, multa in muliebrem lævitatem cœpit jactare. Quàm facilè adamarent. Quàm citò etiam philorum obliviſcerentur. Nullamque eſſe feminam tam pudicam, quæ non peregrina libidine uſque ad furorem averteretur. Nec ſe tragœdias veteres curare, aut nomina ſeculis nota; ſed rem ſua memoria factam, quam expoſiturum ſe eſſe, ſi vellemus audire. Converſis igitur omnium in ſe vultibus auribuſque, ſic orſus eſt: Matrona quædam Epheſi tam notæ erat pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium

feminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc ergo cùm virum extuliſſet, non contenta, vulgari more, funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſecuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo, Græco more corpus cuſtodire, ac flere totis noctibus diebuſque cœpit. Sic adflictantem ſe, ac mortem inedia perſequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui: Magiſtratus ultimo repulſi abierunt: complorataque ab omnibus ſingularis exempli femina, quintum jam diem ſine alimento trahebat. Aſſidebat ægrè fidiſſima ancilla, ſimulque & lacrymas commodabat lugenti, & quoties defecerat poſitum in monimento lumen renovabat. Una igitur in tota civitate fabula erat, & ſolum illud adfulſiſſe verum pudicitiæ amoriſque exemplum omnis ordinis homines confitebantur. Cùm interim Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus adfigi, ſecundum illam eandem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. Proxima ergo nocte cùm miles, qui cruces ſervabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, notaſſet ſibi & lumen inter monimenta clarius fulgens, & gemitum lugentis audiſſet, vitio gentis humanæ, concupiit ſcire, quis aut quid faceret.

Descendit igitur in conditorium; visaque pulcherrima muliere, primò quasi quodam monstro, infernisque imaginibus turbatus substitit deinde: ut & corpus jacentis conspexit, & lacrumas consideravit, faciemque unguibus sectam; ratus scilicet *id* quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati; attulit in monumentum cænulam suam, cœpitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diducere: omnium eundem exitum esse: sed & idem domicilium, & cætera, quibus exulceratæ mentes ad sanitatem revocantur. At illa ignota consolatione percussa, laceravit vehementiùs pectus, ruptosque crines super pectus jacentis imposuit. Nec recessit tamen miles, sed eadem exhortatione tentavit dare mulierculæ cibum, donec ancilla vini certè ab eo odore corrupta, primùm ipsa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum: deinde refecta potione & cibo, expugnare dominæ pertinaciam cœpit. &, Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris? si te vivam sepelieris? si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?

Id ciperem, aut manes credis curare sepultos?

Vis tu reviviscere reluctantibus fatis ex-

tinctum? vis, discusso muliebri errore, quàm diu licuerit, lucis commodis frui? ipsum te jacentis corpus admonere debet, ut vivas. Nemo invitus audit, cùm cogitur aut cibum sumere, aut vivere. Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam: nec minùs avidè replevit se cibo, quàm ancilla, quæ prior victa est. Cæterùm scitis quid tentare plerumque soleat humanam satietatem. Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vivere vellet, iisdem etiam pudicitiam ejus aggressus est. Nec deformis aut infacundus juvenis castæ videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac subinde dicente:

—— Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?

Quid diutius moror? ne hanc quidem mulier partem corporis abstinuit, victorque miles utrumque persuasit. Jacuerunt ergo unà, non tantùm illa nocte qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die, præclusis videlicet conditorii foribus, ut quisque ex notis ignotisque ad monimentum venisset, putasset expirasse super corpus viri pudicissimam uxorem. Cæterùm delectatus miles & forma mulieris & secreto, quidquid boni per facultates poterat, coëmebat; & prima sta-

tim nocte in monimentum ferebat. Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam custodiam, detraxere nocte pendentem, supremoque mandaverunt officio. At miles circumscriptus dum residet, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem; veritus supplicium, mulieri, quid accidisset, exponit: nec se expectaturum Judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ; commodaret modò illa perituro locum, & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minùs misericors quàm pudica, Nec istud, inquit, dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem: malo mortuum impendere, quàm vivum occidere. Secundum hanc orationem jubet corpus mariti sui tolli ex arca, atque illi, quæ vacabat, cruci affigi. Usus est miles ingenio prudentissimæ feminæ; postero que die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem. Risu excepere fabulam Nautæ, erubescente non mediocriter Tryphæna, vultumque suum super cervicem Gitonis amabiliter ponente. At non Lycas risit, sed iratum commovens caput, Si justus, inquit, Imperator fuisset, debuit patrisfamiliæ corpus in monimentum referre, mulierem affigere cruci. Non dubiè redierat in animum

mœchile expilatumque libidinoſa migratione navigium. Sed nec fœderis verba permittebant meminiſſe, nec hilaritas quæ præoccupaverat mentes, dabat iracundiæ locum. Cæterùm Tryphæna in gremio Gitonis poſita, modò implebat oſculis pectus, interdum concinnabat ſpoliatum crinibus vultum. Ego mœſtus & impatiens fœderis novi, non cibum, non potionem capiebam, ſed obliquis trucibuſque oculis utrumque ſpectabam. Omnia me oſcula vulnerabant, omnes blanditiæ, quaſcumque mulier libidinoſa fingebat: nec tamen adhuc ſciebam utrum magis puero iraſcerer, quod amicam mihi auferret; an amicæ, quod puerum conrumperet. Utraque inimiciſſima oculis meis, & captivitate præterita triſtiora. Accedebat huc, quod neque Tryphæna me alloquebatur tanquam familiarem, & aliquando gratum ſibi amatorem, nec Giton me aut tralatitia propinatione dignum judicabat, aut, quod minimum eſt, ſermone communi vocabat: credo veritus ne inter initia coëuntis gratiæ recentem cicatricem reſcinderet. Inundavere pectus lacrumæ dolore paratæ, gemituſque ſuſpirio tectus animam penè ſubmovit. * * In partem voluptatis tentabat admitti, nec domini ſupercilium induebat, ſed amici quærebat obſequium. * *

Dum ancilla restitans in hæc erupit: Si quid ingenui sanguinis habes, non pluris illam facies quàm sportam. Si vir fueris, non ibis ad spuitam. *Hæc animi pendentem angebant. Sed* me nihil magis pudebat, quàm ne Eumolpus sensisset quidquid illud fuerat, & homo dicacissimus carminibus vindicaret *creditam noxiam.* *

Jurat Eumolpus verbis conceptissimis.

* * *

Dum hæc taliaque jactamus, inhorruit mare, nubesque undique adductæ obruêre tenebris diem. Discurrunt Nautæ ad officia trepidantes, velaque tempestati subducunt. Sed nec certos fluctus ventus impulerat, nec quò destinaret cursum gubernator sciebat: Siciliam modò ventus dabat, sæpissimè Italici littoris Aquilo possessor convertebat huc illuc obnoxiam ratem: & quod omnibus procellis periculosius erat, tam spissæ repentè tenebræ lucem suppresserant, ut ne proram quidem totam gubernator videret. Itaque Hercules postquam spes omnis manifesto evolavit, Lycas trepidans ad me supinas porrigit manus: & , Tu, inquit, Encolpi, succurre periclitantibus, id est, vestem illam divinam, sistrumque redde navigio. Per fidem, miserere, quemadmodum quidem soles. Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, re-

petitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit. Tryphænam autem properam fidelissimi rapuerunt servi, scaphæque impositam cum maxima sarcinarum parte abduxere certissimæ morti. *ego Gitoni* adplicitus cum clamore flevi: &, Hoc, inquam, à diis meruimus, ut nos sola morte conjungerent; sed non crudelis Fortuna concedit. Ecce jam ratem fluctus evertet: ecce jam amplexus amantiúm iratum dividet mare. Igitur si verè Encolpion dilexisti, da oscula dum licet, & ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape. Hæc ut ego dixi, Giton vestem deposuit, meaque tunica contectus exseruit ad osculum caput: & ne sic cohærentes malignior fluctus distraheret, utrumque zona circumveniēti præcinxit: &, Si nihil aliud, certè diutius, inquit, juncta nos mors feret; vel si voluerit misericors ad idem littus expellere, aut prætoriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut, quæ ultimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet. Patior ego vinculum extremum, & veluti lecto funebri aptatus expecto mortem jam non molestam. Peragit interim tempestas mandata fatorum, omnesque reliquias navis expugnat. Non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis, aut remus: sed quasi rudis atque

infecta materies ibat cum fluctibus. * *
Hospites veluti conclamans. * Procurrêre piscatores parvulis expediti navigiis ad prædam rapiendam : deinde ut aliquos viderunt, qui suas opes defenderent, mutaverunt crudelitatem in auxilium. *Tum vocum concursu facto*, audimus murmur insolitum, & sub diæta magistri, quasi cupientis exire belluæ gemitum. Persecuti igitur sonum invenimus Eumolpum sedentem, membranæque ingenti versus ingerentem. Mirati ergo quod illi vacaret in vicinia mortis poëma facere, extraximus clamantem, jubemusque bonam habere mentem. At ille interpellatus excanduit, &, Sinite me, inquit, sententiam explere : laborat carmen in fine. Injicio ego phrenetico manum, jubeoque Gitona accedere, & in terram trahere orcam mugientem. * *

Hoc opere tandem elaborato, casam piscatoriam subimus mœrentes, cibisque naufragio corruptis utcumque curati, tristissimam exegimus noctem. Postero die cùm poneremus consilium, cui nos regioni crederemus, repentè video corpus humanum circumactum levi vortice ad littus deferri. Substiti ergo tristis, cœpique viventibus oculis maris fidem inspicere: &, Hunc forsitan, proclamo, in aliqua parte terrarum secura expectat

uxor: forsitan ignarus tempestatis filius: aut patrem utique reliquit aliquem, cui proficiscens osculum dedit. Hæc sunt consilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodum natat. Adhuc tanquam ignotum deflebam, cùm inviolatum os fluctus convertit in terram, agnovique terribilem paulò ante & implacabilem Lycam pedibus meis penè subjectum. Non tenui igitur diutius lacrumas, imò percussi semel iterumque manu pectus; &, Ubi nunc est, inquam, iracundia tua? Ubi impotentia tua? nempe piscibus belluisque expositus es, & qui paulò ante jactabas vires imperii tui, de tam magna nave ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos disponite. Nempe hic proxima luce patrimonii sui rationes inspexit; nempe diem etiam, quo venturus esset in patriam, animo suo finxit. Dii deæque, quàm longè à destinatione sua jacet! Sed non sola mortalibus maria hanc fidem præstant. Illum bellantem arma decipiunt: illum Diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. Cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. Si benè

calculum ponas, ubique naufragium est. At enim fluctibus obruto non contingit sepultura. Tanquam intersit periturum corpus quæ ratio consumat, ignis, an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia hæc eodem ventura sunt. Feræ tamen corpus lacerabunt. Tanquam melius ignis accipiat. Imò hanc pœnam gravissimam credimus, ubi terris irascimur. Quæ ergo dementia est, omnia facere, nequid è nobis relinquat sepultura, *quando etiam ita de invitis fata statuant?* * Et Lycam quidem rogus inimicis conlatus manibus adolebat: Eumolpus autem dum epigramma mortuo facit, oculos ad arcessendos sensus longius mittit. *

Hoc peracto libenter officio, destinatum carpimus iter, ac momento temporis in montem sudantes conscendimus, ex quo haud procul impositum arce sublimi oppidum cernimus. nec quid esset sciebamus errantes, donec à villico quodam Crotona esse cognovimus, urbem antiquissimam, & aliquando Italiæ primam. Cùm deinde diligētius exploraremus, qui homines inhabitarent nobile solum, quodve genus negotiationis præcipuè probatent post attritas bellis frequentibus opes; O mi, inquit, hospites si negotiatores estis, mutate propositum, aliudque vitæ præsidium quærite. Sin autem urbanioris notæ ho-

mines ſuſtinetis ſemper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim urbe non literarum ſtudia celebrantur, non eloquētia locū habet, non frugalitas ſanctique mores laudibus ad fructum perveniunt, ſed quoſcumque homines in hac urbe videritis, ſcitote in duas partes eſſe diviſos. Nam aut captantur, aut captant. In hac urbe nemo liberos tollit: quia quiſquis ſuos hæredes habet, nec ad cœnas, nec ad ſpectacula admittitur, ſed omnibus prohibetur commodis, inter ignominioſos latitat. Qui verò nec uxores unquam duxerunt, nec proximas neceſſitudines habent, ad ſummos honores perveniunt, i. e. ſoli militares, ſoli fortiſſimi, atque etiam innocentes habentur. Videbitis, inquit, oppidum, tanquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt, niſi cadavera quæ lacerantur, aut corvi qui lacerant. * Prudentior Eumolpus convertit ad novitatem rei mentem, genuſque divinationis ſibi non diſplicere confeſſus eſt. Jocari ego ſenem poëtica lævitate credebam, cùm ille, Utinam quidem ſufficeret largior ſcæna, i. e. veſtis humanior, quæ præberet mendacio fidem. Non me-Hercules peram iſtam differrem, ſed continuò vos ad magnas opes ducerem. Atqui promitto quidquid exigeret, dummodo placeret veſtis rapinæ

comes, & quidquid Lycurgi villa grassantibus præbuisset. Nam nummos in præsentem usum Deûm matrem pro fide sua reddituram. Quid ergo, inquit Eumolpus, cessamus mimum componere? Facite ergo me dominum, si negotiatio placet. Nemo ausus est artem damnare nihil auferentem. Itaque ut duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri [verberari] ferroque necari, & quidquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissimè addicimus. Post peractum sacramentum serviliter ficti dominum consalutamus, elatumque ab Eumolpo filium pariter condiscimus, juvenem ingentis eloquentiæ, & spei: ideoque de civitate sua miserrimum senem exiisse, ne aut clientes sodalesque filii sui, aut sepulchrum quotìdie causam lacrumarum cerneret. Accessisse huic tristitiæ proximum naufragium, quo amplius vicies sestertium amiserit: nec illum jactura moveri, sed destitutum ministerio non agnoscere dignitatem suam. Præterea habere in Africa trecenties sestertium fundis, nominibusque depositum. Nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiæ esse sparsam, ut possit vel Carthaginem capere. Secundum

dum hanc formulam imperamus Eumolpo, ut plurimùm tussiat, ut sit modò solutioris stomachi, cibosque omnes palam damnet; loquatur aurum & argentum, fundosque mendaces, & perpetuam terrarum sterilitatem. Sedeat præterea quotidie ad rationes, tabulasque testamenti omnibus diebus renovet; &, ne quid scænæ deesset, quotiescumque aliquem nostrûm vocare tentasset, alium pro alio vocaret, ut facilè appareret dominum etiam eorum meminisse, qui præsentes non essent. His ita ordinatis, quæ benè feliciterque eveniret, precati Deos, viam ingredimur. Sed neque Giton sub insolito fasce durabat, & mercenarius Corax detractator ministerii, positâ frequentius sarcinâ, maledicebat properantibus, affirmabatque se aut projecturem sarcinas, aut cum onere fugiturum, Quid vos, inquit, me jumentum putatis esse, aut lapidariam navem? hominis operas locavi, non caballi; nec minus liber sum quàm vos, etsi pauperem pater me reliquit. Nec contentus maledictis, tollebat subinde altius pedem, & strepitu obscœno simul atque odore viam implebat. Ridebat contumaciam Giton, & singulos strepitus ejus pari clangore persequebatur, *olfactui ut officeret. Sed & hic ad ingenium redux Eumolpus*, Multos, in-

quit [Eumolpus], ô juvenes, carmen decepit: nam ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuò in Heliconem venisse. sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum faciliorem refugerunt, credentes faciliùs poëma extrui posse, quàm controversiam sententiolis vibrantibus pictam. Cæterùm neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, & sumendæ voces à plebe submotæ, ut fiat,

Odi profanum vulgus, & arceo.

Præterea curandum est, ne sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ; sed intecto vestibus colore niteant. Homerus testis, & Lyrici, Romanusque Virgilius, & Horatii curiosa felicitas. Cæteri enim aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare. Ecce, belli civilis ingẽs opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longè melius Historici faciunt; sed per ambages, Deorumque ministeria, & fa-

bulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religiosæ orationis sub testibus fides. tanquam si placet hic impetus, etiamsi nondum recepit ultimam manum.

Orbem jam totam victor Romanus habebat
Qua mare, qua terra, qua sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat. Gravidis freta pulsa carinis
Jam peragrabantur; si quis sinus abditus ultra,
Siqua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis
Quærebantur opes, non vulgo nota placebant
Gaudia: non usu plebeio trita voluptas.
Assyria concham laudabat miles in unda.
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidæ crustas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua dispoliaverat arva.
Ecce aliæ clades, & læsæ vulnera pacis.
Quæritur in sylvis Mauris fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur. ne desit bellua dente,
Ad mortes pretiosa suas, premit advena classes

Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu pudet effari, perituraque prodere fata!
Persarum ritu malè pubescentibus annis
Subripuere viros; exsectaque viscera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora properantes differat annos.
Quærit se natura, nec invenit. omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, grèges servorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ turbant sensum, hostile ac malè nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit: omniaque orbis
Præmia, conceptis miles vagus exstruit armis.
Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis

Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas.
Vt renovent per damna famem. jam Phasidos unda
Orbata est avibus: mutoque in littore tantùm
Solæ desertis aspirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum.
Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur à populo victus Cato: tristior ille est,
Qui vicit, fascesque pudet rapuisse Catoni.
Namque hoc dedecus est populi morumque ruina.
Non homo pulsus erat: sed in uno victa potestas,
Romanumque decus. quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.
Præterea gemino deprensam gurgite prædam
Fenoris ingluvies, ususque exederat æris.
Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus:
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens hiris latrantibus errat.

Arma placent miſeris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur: inops audacia tuta eſt.
Hoc merſam cœno Romam, ſomnoque jacentem
Quæ poterant artes ſana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?
Tres tulerat Fortuna Duces, quos obruit omnis
Armorum ſtrue diverſa feralis Enyo.
Craſſum Parthus habet, Lybico jacet æquore Magnus,
Julius ingratam perfudit ſanguine Romam.
Et, quaſi non poſſet tot tellus ferre ſepulchra,
Diviſit cineres. hos gloria reddit honores.
Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyta perfuſus aqua: nam ſpiritus extra
Qui furit, effuſus funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc Autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigros ſquallentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circumtumulata cupreſſu.
Has inter ſedes Ditis pater extulit ora,
Buſtorum flammis, & cana ſparſa favilla,
Ac tali volucrem Fortunam voce laceſſit:

Rerum humanarum, divinarumque potestas,
Fors, cui nulla placet nimium secura potestas,
Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
Ecquid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulterius perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus,
Et quas struxit opes, malè sustinet. aspice latè
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.
Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt.
Expelluntur aquæ saxis; mare nascitur arvis;
Et permutata rerum statione rebellant.
En etiam mea Regna petunt. perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
Antra gemunt: &, dum varios lapis invenit usus,
Inferni manes Cœlum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.
Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus
Ex quo Syllanus bibit ensis, horrida tellus

Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.
Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus, rupto tellurem solvit hiatu.
Tum Fortuna levi defudit pectore voces:
O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modò vera mihi fas est impunè profari,
Vota tibi cedent: nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi;
Muneribusque meis irascor: destruet istas
Idem, qui posuit, moles Deus & mihi cordi
Quippe cremare viros, & sanguine pascere luxum.
Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos,
Thessaliæque rogos, & funera gentis Iberæ:
Et Lybiæ cerno, & tua Nile gementia clostra.
Jam fragor armorum trepidantes personat aures,
Actiacosque sinus, & Apollinis arma timentes.
Pande age terrarum sitientis regna tuarum,
Atque animas arcesse novas: Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulachra virûm traducere cymba,

Classe opus est. tumque ingenti satiare ruina,
Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande.
Ad stygios manes laceratus ducitur orbis.
Vix dum finierat, cùm fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisosque abscidit ignes.
Subsidit pater umbrarum, gremioque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuò clades hominum venturaque damna
Auspiciis patuere Deûm; namque ore cruento
Deformes Titan vultus caligine texit.
Civiles acies jam tum spirare putares.
Parte alia plenos extinxit Cynthia vultus
Et lucem sceleri subduxit. rupta tonaban
Verticibus lapsis montis juga, nec vag
passim
Flumina per notas ibant morientia ripas.
Armorum strepitu Cœlum furit, & tub
Martem
Sideribus tremefacta ciet: jamque Æthn
voratur
Ignibus insolitis, & in æthera fulmin
mittit.
Ecce inter tumulos atque ossa carentia busti,
Vmbrarum facies diro stridore minantur.
Fax stellis comitata novis incendia ducit;

Sanguineoq; recens descendit Jupiter imbre.
Hæc ostenta brevi solvit Deus. Exuit omnes
Quippe moras Cæsar, vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia sustulit arma
Alpibus aëreis, ubi Graio nomine, vulsæ
Descendunt rupes, nec se patiuntur adiri,
Est locus Herculeis aris sacer, hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit,
Cœlum illinc cecidisse putes: non solis adulti
Mansuescit radiis, non verni temporis aurâ:
Sed glacie concreta rigens, hiemisq; pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.
Hæc ubi calcavit Cæsar juga milite læto,
Optavitque locum, summo de vertice montis
Hesperiæ campos latè prospexit, & ambas
Intentans cum voce manus ad sidera, dixit:
Jupiter omnipotens, & tu Saturnia tellus.
Armis læta meis, olimque onerata triumphis:
Testor ad has acies invitum arcessere Martem,
Invitas me ferre manus, sed vulnere cogor,
Pulsus ab urbe mea, dum Rhenum sanguine tingo,
Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo: vincendo, certior exul:

Sanguine Germano, ſexagintaque triumphis,
Ecce nocens cœpi. quanquam quos gloria terret,
Aut qui ſunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ: quorum eſt mea Roma noverca,
Vt reor, haud impunè; nec hanc ſine vindice dextram
Vinciet ignavus. victores ite furentes,
Ite mei comites, & cauſam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat. omnibus una
Impendet clades. reddenda eſt gratia vobis:
Non ſolus vici. quare, quia pœna trophæis
Imminet, & ſordes meruit victoria noſtra,
Judice Fortuna cadat alea. ſumite bellum,
Et tentate manus. certè mea cauſa peracta eſt.
Inter tot fortes armatus neſcio vinci.
Hæc ubi perſonuit, de Cœlo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte ſiniſtra
Inſolitæ voces flamma ſonuere ſequenti.
Ipſe nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia ſigna
Cæſar; & inſolitos greſſus prior occupat auſu.

Prima quidem glacies, & cana vincta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit:
Sed postquam turmæ nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives, mox flumina montibus altis
Vndabant modò nata; sed hæc quoque justa putares:
Vinctaque mox stabant, fluctus stupuere pruina,
Et paulò ante lues jam concidenda jacebat.
Tum verò malefida prius vestigia lusit,
Decepitque pedes, passim turmæque virique,
Armaque congesta strue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concussæ flumine nubes
Exonerabantur, nec rupto turbine venti
Deerant, aut tumida confractum grandine cœlum:
Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victaque cœli
Sidera, victa suis hærentia flumina ripis;
Nondum Cæsar erat: sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucasea decurrens arduus arce
Amphitryoniades; aut torvo Jupiter ore,

Cùm se verticibus magni demisit Olympi
Et periturorum dejecit tela Gigantum.
Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arces:
Interea volucer motis conterrita pinnis
Fama volat, summique petit juga celsa PalatI:
Atque hæc Romano attonito fert omnia signa:
Jam classes fluitare mari, totasque per Alpes
Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant: ergo pulsata tumultu
Pectora per dubias scinduntur territa causas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur;
Et patria est pontus jam tutior. est magis arma
Qui tentata velit: fatisque jubentibus actus,
Quantum quisque timet, tantum fugit, ocior ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quò mens icta jubet, deserta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris sonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepida natos tenet: ille Penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Lumen, & absentem votis interficit hostem.
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævosque patres; onerisque ignara juventus

Id, pro quo metuit, tantùm trahit. omnia secum
Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit.
Ac velut ex alto cùm magnus inhorruit Auster,
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
Non regimen prodest: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta sinu tranquillaque littora quærit:
Hic dat vela fugæ, Fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus,
Ille tremor Ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus; modò quem ter ovantem
Jupiter horruerat, Quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissa Bosporus unda,
Prô pudor! Imperii deserto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.
Tergo tanta lues Divûm quoque numina vidit;
Consensitque fugæ Cœli timor. ecce per orbem
Mitis turba Deûm, terras exosa furentes
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos

Abſcondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it ſubmiſſa Fides, & crine ſoluto
Juſtitia, ac mœrens lacera Concordia palla.
At contra, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit,
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibuſque armata Megæra:
Letumque, Inſidiæque, & lurida Mortis imago,
Quas inter Furor, obruptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille
Vulneribus confoſſa cruenta caſſide velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis: atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataque ſidera pondus
Quæſivere ſuum. namque omnis Regia cœli
In partes diducta ruit: primumque Dione
Cæſaris acta ſui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius haſtam.
Magnum cum Phœbo Soror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis ſimilis Tirynthius actis.
Intremuere tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad Superos Stygium caput. hujus in ore

Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.
Stabant ærati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora,
Atque intertorto laceratam pectore veſtem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
Hæc ut Cocyti tenebras: & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Vnde omnes terras, atque omnia littora poſſet
Aſpicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
Sumite nunc gentes accenſis mentibus arma,
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur quicumque latet; non fœmina ceſſet,
Non puer, aut ævo jam deſolata ſenectus.
Ipſa tremat Tellus, laceratąque tecta rebellent.
Tu legem Marcelle tene: Tu concute plebem
Curio: Tu fortem ne ſupprime Lentule Martem.
Quid porro Tu Dive tuis cūctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida ſolvis?
Theſauroſque rapis? neſcis tu, Magne, tueri
Romanas arces? Epidauria mœnia quære,

Thessaliaque sinus humano sanguine tinge.
Factum est in terris, quidquid Discordia jussit.

Cùm hæc Eumolpus ingenti volubilitate verborum effudisset, tandem Crotona intravimus: ubi quidem parvo diversorio refecti, postero die amplioris fortunæ domum quærentes, incidimus in turbam heredipetarum sciscitantium quod genus hominum, aut unde veniremus? Ex præscripto ergo consilii communis, exaggerata verborum volubilitate, unde, aut qui essemus, haud dubiè credentibus indicavimus. Qui statim opes suas summo cum certamine in Eumolpum congesserunt. certatim omnes muneribus gratiam Eumolpi sollicitant.

Dum hæc magno tempore Crotone aguntur, & Eumolpus felicitate plenus prioris fortunæ esset oblitus statum, adeo ut suis jactaret, neminem gratiæ suæ ibi posse resistere, impunéque suos, si quid deliquissent in ea urbe, beneficio amicorum laturos. Cæterùm ego, etsi quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram, putabamque à custodia mei removisse vultum Fortunam: tamen sæpius tam consuetudinem meam cogitabam, quàm causam. &, Quid, aïebam, si callidus captator exploratorem in Africam miserit, menda-

ciumque deprehenderit nostrum? Quid, si etiam mercenarius præsenti felicitate lassus, indicium ad amicos detulerit, totamque fallaciam invidiosa proditione detexerit? Nempe rursus fugiendum erit, & tandem expugnata paupertas nova mendicitate revocanda. Dii, deæque, quàm malè est extra legem viventibus! quidquid meruerunt, semper expectant. * *

Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus, non commodas. Quò enim spectant flexæ pectine comæ? quo facies medicamine attrita, & oculorum quoquo mobilis petulantia? quo incessus tutè compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis, ut vendas? Vides me? nec auguria novi, nec Mathematicorum cœlum curare soleo: ex vultibus tamen hominum, mores conligo; & cùm spatiantem vidi, quid cogites, scio. Sive ergo nobis vendis quod peto, mercator paratus est: sive quod humanius est, commodas, effice ut beneficium debeam. Nam quòd servum te & humilem fateris, accendis desiderium æstuantis. Quædam enim feminæ sordibus calent: nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut statores altius cinctos. harenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere mu-

lio, aut hiſtrio ſcænæ oſtentatione traductus. Ex hac nota domina eſt mea. uſque ab orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit quod diligat. Itaque oratione blandiſſima plenus, Rogo, inquam, numquid illa quæ me amat, tu es? Multùm riſit ancilla poſt tam frigidum ſcema, &, Nolo, inquit, tibi tam valde placeas: ego adhuc ſervo nunquam ſuccubui, nec hoc Dii ſinant, ut amplexus meos in crucem mittam. Viderint matronæ, quæ flagellorum veſtigia oſculantur: ego, etiam ſi ancilla ſum, nunquam tamē niſi in Equeſtribus ſedeo. Mirari equidem tam diſcordem libidinem cœpi, atque inter monſtra numerare, quod ancilla haberet matronæ ſuperbiam, & matrona ancillæ humilitatem, Procedentibus deinde longius jocis, rogavi ancillam, ut platanona produceret dominam. Placuit puellæ conſilium: itaque conlegit altius tunicam, flexitque ſe in eum daphnona, qui ambulationi hærebat. nec diu morata, dominam produci è latebris, laterique applicat meo mulierem omnibus ſimulacris emendatiorem. Nulla vox eſt, quæ formam ejus poſſit comprehendere: nam quidquid dixero, minus erit. Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſeſe humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillo-

rum retroflexerat: supercilia usque ad malarum stricturam currentia, & rursus confinio luminum penè permixta: oculi clariores stellis extra Lunam fulgentibus: nares paululum inflexæ: & osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit. Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor extinxerat. Itaque tunc primum Dorida vetus amator contempsi.

Quî factum est, quòd tu projectis Jupiter armis,
Inter cœlicolas fabula muta taces?
Nunc erat à torva submittere cornua fronte.
Nunc pluma canos dissimulare tuos.
Hæc vera est Danaë, tenta modò tangere corpus,
Jam tua flammifero membra calore fluent.

Delectata illa risit tam blandum, ut videretur mihi, plenum os extra nubem Luna proferre. Mox digitis gubernantibus vocem, Si non fastidis, inquit, feminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, ô juvenis, sororem. habes tu quidem, & fratrem; neque enim me piguit inquirere: sed quid prohibet & sororem adoptare? eodem gradu venio: tu tantùm dignare & meum osculum, cùm libuerit, agnoscere. Imò, inquam ego, per formam

tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere: invenies religiosum, si te adorari permiseris. Ac ne me judices, ad hoc Templum Amoris gratias accedere, dono tibi fratrem meum. Quid? inquit illa, donas mihi eum, sine quo non potes vivere? ex cujus osculo pendes? quem sic tu amas, quemadmodũ ego te volo? Hæc ipsa cùm diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentatum mulcebat aëra, ut putares inter auras canere Sirenum concordiam. Itaque miranti, & toto mihi clarius cœlo nescio quid relucente, libuit deæ nomen quærere. Ita, inquit, non dixit tibi ancilla mea, Circen vocari? non sum quidem Solis progenies; nec mea mater, dum placet, labentis mundi cursum detinuit: habebo tamen quod cœlo imputem, si nos fata conjunxerint. Imò etiam nescio quid tacitis cogitationibus Deus agit. nec sine causa Poliænon Circe amat. Semper inter hæc nomina fax surgit. Sume ergo amplexum, si placet. neque est, quod curiosum aliquem extimescas: longè ab hoc loco frater est. Dixit hæc Circe, implicitumque me brachiis mollioribus pluma, deduxit in terram variè gramine indutam.

Idæ qualis fudit de vertice flores

Terra parens, cùm se confesso junxit amori
Jupiter, & toto concepit pectore flammas:
Emicuere rosæ, violæque, & molle cyperon:
Albaque de viridi riserunt lilia prato:
Talis humus Venerem molles clinavit in herbas,
Candidiorque dies secreto favit amori,

In hoc gramine pariter compositi mille osculis lusimus, quærentes voluptatem robustam. *

Quid est, inquit, numquid te osculum meum offendit? numquid spiritus jejunio macer? numquid alarum negligens sudor? Porro, si hæc non sunt, numquid Gitona times? Perfusus ego rubore manifesto, etiam, si quid habueram virium, perdidi; totoque corpore velut laxato, Quæso, inquam, Regina, noli suggillare miserias: veneficio contactus sum. *

Dic Chrysis, sed verum: numquid indecens sum? numquid incompta? numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excæco? noli decipere dominam tuam, nescio quid peccavimus. Rapuit deinde tacenti speculum, &, postquam omnes vultus tentavit, quos solet inter amantes risus frangere, excussit vexatam solo vestem, raptimque ædem Veneris intravit. Ego contrà damnatus, & quasi quodam visu in horrorem perductus, interrogare amicum meum cœpi, an vera

voluptate fraudatus essem.

Nocte soporifera veluti cùm somnia ludunt
Errantes oculos, effossaque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus improba furtum,
Thesaurosque rapit, sudor quoque perluit ora
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraque forma redit, animus, quod perdidit, optat,
Atque in præterita se totus imagine versat

* * *

Itaque hoc nomine tibi gratias ago, quod me Socratica fide diligis. Non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui lectulo jacuit. *

Crede mihi frater, non intelligo me virum esse, non sentio. funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram. * Veritus puer ne in secreto deprehensus daret sermonibus locum, proripuit se, & in partem ædium interiorem fugit. * Cubiculum autem meum intravit Chrysis, codicillosque mihi dominæ suæ reddidit, in quibus hæc erant scripta.

CIRCE POLYÆNO SALUTEM.

SI libidinosa essem, quererer decepta, nunc etiam languori tuo gratias ago. In umbra voluptatis diutius lusi. quid tandem agas, quæro, & an tuis pedibus perveneris domum? negant enim medici sine nervis homines ambulare posse. Narrabo tibi adolescens, paralysin cave. nunquam ego ægrum tam magno periculo vidi. me-Dius Fidius, jam peristi. Quod si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas. Quid ergo est? etiamsi gravem injuriam accepi, homini tamen misero non invideo medicinam. Si vis sanus esse, Gitonem roga; recipies, inquam, nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris. Nam quod ad me attinet, non timeo ne quis inveniatur, cui minùs placeam. nec speculum mihi, nec fama mentitur. Vale si potes.

Ut intellexit Chrysis me perlegisse totum convitium: Solent, inquit, hæc fieri, & præcipuè in hac civitate, in qua mulieres etiam Lunam deducunt. *

Itaque hujus quoque rei cura agetur: rescribe modò blandius dominæ, animumque ejus candida humanitate restitue. verum enim fatendum est, ex qua hora injuriam accepit, apud se non est.

Libenter

Libenter quidem parui ancillæ, verbaque codicillis talia imposui.

POLYÆNOS CIRCÆ SALUTEM.

Fateor me, domina, sæpe peccasse: nam & homo sum, & adhuc juvenis: nunquam tamen ante hunc diem usque ad mortem deliqui. Habes, inquam, confitentem reum. quidquid jusseris, merui. proditionem feci, hominem occidi, Templum violavi. In hæc facinora quære supplicium. Sive occidere placet, ferro meo venio: sive verberibus contenta es, curro nudus ad dominam. Illud unum memento, non me, sed instrumenta peccasse. Paratus miles arma non habui. quis hæc turbaverit, nescio. Forsitan animus antecessit corporis moram: forsitan, dum omnia concupisco, voluptatem tempore consumpsi. non invenio quod feci. Paralysin tamen cavere jubes; tanquam major fieri possit, quæ abstulit mihi, per quod etiam te habere potui. Summa tamen excusationis meæ hæc est: Placebo tibi: si me culpam emendare permiseris. Vale.

Dimissa cum ejusmodi pollicitatione Chryside, curavi diligentiùs noxiosissimum corpus, balneoque præterito, modica unctione usus, mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus, hausi parcius me-

rum. hinc ante somnum levissima ambulatione compositus, sine Gitone cubiculum intravi. Tanta erat placandi cura, ut timerem ne latus meum frater convelleret. Postero die, cùm sine offensa corporis animique consurrexissem, in eundem platanona descendi, etiamsi locum inauspicatum timebam, cœpiq; inter arbores ducem itineris expectare Chrysidem. Nec diu spatiatus consederam ubi hesterno die fueram, cùm illa intervenit comitem aniculam trahens. Atque, ut me consalutavit; Quid est, inquit, fastose, ecquid bonam mentem habere cœpisti? Illa de sinu licium protulit varii coloris filiis intortum, cervicéque vinxit meam. Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signat. hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum, quos ipsa præcantatos purpura involverat, admotisque manibus tentare cœpit inguinum vires. Dicto citius nervi paruerunt imperio, manusque aniculæ ingenti tumore repleverunt. At illa gaudio exultans, Vides, inquit, Chrysis mea, vides quod alis leporem excitavi? *

Dum vivis sperare licet: tu rustice custos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

* * *

Nobilis æstivas platanus diffuderat umbras,

Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita Daphne, tremulæque cupressus.
Has interludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat ore lapillos.
Dignus amore locus. testis silvester Jasdon,
Atque urbana Progne: quæ circum gramina fusæ,
Et molles violas, cantus sua rura colebant.

Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum thorum, myrthoque florenti quietum verberabat. Itaque ut me vidit, paululùm erubuit, hesternæ scilicet injuriæ memor: deinde ut remotis omnibus secundum invitantem consedi, ramum super oculos meos posuit, & quasi pariete interjecto audacior facta: Quid est, inquit, paralytice, ecquid hodie totus venisti? Rogas, inquam ego, potiùs quàm tentas? totoque corpore in amplexum ejus immissus non precantis usque ad satietatem osculis fruor. *

Ipsa corporis pulchritudine me ad se vocante trahebat ad Venerem. jam pluribus osculis conlisa labra crepitabant. jam implicitæ manus omne genus amoris invenerant. jam alligata mutuo ambitu corpora, animarum quoque mixturam fecerant. *

Manifestis matrona contumeliis verberata, tandem ad ultionem decurrit, vo-

eatque cubicularios, & me jubet catorogare. Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quasillarias, familiæque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. Oppono ego manus oculis meis, nullisque precibus effusis, quia sciebam quid meruissem, verberibus sputisque extra januam ejectus sum. Ejicitur & Proselenos, Chrysis vapulat, totaque familia tristis inter se mussat, quæritque, quis dominæ hilaritatem confuderit. * *

Itaque pensatis vibicibus animosior verberum notas arte contexi, ne aut Eumolpus contumelia mea hilarior fieret, aut tristior Giton. Quod solum igitur salvo pudore poteram confingere, languorem simulare cœpi, conditusque lectulo, totum ignem furoris in eam converti, quæ mihi omnium malorum causa fuerat,

Ter corripui terribilem manu bipennem,
Ter languidior coliculi tepente thyrso,
Ferrum timui, quod trepido malè dabat usum.
Nec jam poteram, quod modò conficere libebat.
Namque illa metu frigidior rigente bruma,
Confugerat in viscera mille operta rugis.
Ita non potui supplicio caput aperire:
Sed furciferæ mortifero timore lusus,
Ad verba, magis quæ poterant nocere, fugi:

Erectus igitur in cubitum, hac ferè oratione contumacem vexavi: Quid dicis, inquam, omnium hominum Deorumque pudor? nam nec nominare quidem te inter res serias, fas est. Hoc de te merui, ut me in cœlo positum ad inferos traheres? ut traduceres annos primo florentes vigore, senectæque ultimæ mihi lassitudinem imponeres? ROGO TE, MIHI APODIXIN defunctoriam REDDE. Hæc ut iratus effudi,

Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incœpto vultum sermone movetur,
Quam lentæ salices, lassove papavera collo.

Nec minùs ego tam fœda objurgatione finita, pœnitentiam agere sermonis mei cœpi, secretoque rubore perfundi, quòd oblitus verecundiæ meæ, cum ea parte corporis verba contulerim, quam ne ad cognitionem quidem admittere severioris notæ homines solent. Mox perfricata diutius fronte, Quid autem ego, inquam, mali feci, si dolorem meum naturali convitio exoneravi? aut quid est, quod in corpore humano ventri maledicere solemus, aut gulæ, capitique etiam cùm sæpius dolet? quid, non & Ulyxes cum corde litigat suo? & quidem Tragici oculos suos tanquam audientes castigant. Podagrici pedibus suis maledicunt, chi-

ragrici manibus, lippi oculis; & qui offenderunt sæpe digitos, quidquid doloris habent, in pedes deferunt.

Quid me constricta spectatis fronte Catones,
Damnatisque novæ simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert:
Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit?
Quis vetat in tepido membra calere toro?
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Iussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Nihil est hominum inepta persuasione falsius, nec ficta severitate ineptius. Hac declamatione finita Gitona voco, &, Narra mihi, inquam, frater, sed tua fide, ea nocte, qua te mihi Ascyltos subduxit, usque in injuriam vigilavit: an contentus fuit vidua pudicaque nocte? Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque juravit verbis, sibi ab Ascylto nullam vim factam: * *Vtut res haberet, spem vultu simulavi* sitoque in limine genu, sic deprecatus sum numina versu:

Nympharum, Bacchique comes, quem pulchra Dione
Divitibus sylvis numen dedit, inclita paret
Cui Lesbos, viridisque Thasos, quem Lydus adorat

Vestifluus, templumque tuis imponit Hypæpis.
Huc ades, ô Bacchi tutor, Dryadumque voluptas,
Et timidas admitte preces: non sanguine tristi
Perfusus venio; non Templis impius hostis
Admovi dextram, sed inops, & rebus egenus
Attritis, facinus non toto corpore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hac prece, quæso,
Exonera ment.m culpæque ignosce minori.
Et quandoque mihi fortunæ adriserit hora,
Non sine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
Corniger, & querulæ fetus suis, hostia lactens;
Spumabit pateris hornus liquor: & ter ovantem
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

Dum hæc ago, solertique cura deposito meo caveo, intravit delubrum anus laceratis crinibus, atraque veste deformis; extraque vestibulum me injecta manu duxit *cunct.ą trementem.* * Quæ striges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcasti in trivio, aut cadaver? Nec à puero quidem te vindi-

casti: sed mollis, debilis, lassus, tanquam caballus in clivo, & operam, & sudorem perdidisti; nec contentus ipse peccare, mihi deos iratos excitasti, *ac pœnas mihi nullas dabis?* Ac me iterum in cellam Sacerdotis nihil recusantem perduxit, impulitque super lectum, & harundinem ab ostio rapuit: iterumque nihil respondentem mulcavit. ac nisi primo ictu harundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset. Ingemui ego, utique propter mascarpionem, lacrymisque ubertim manantibus, obscuratum dextra caput super pulvinum inclinavi. Nec minus illa fletu confusa altera parte lectuli sedit, ætatisque longæ moram tremulis vocibus cœpit accusare, donec intervenit Sacerdos, &, Quid vos, inquit, in cellam meam tanquam ante recens bustum venistis? utique die feriarum, quo etiam lugentes rident? O, inquit, ô Enothea, hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est: nam neque puero, neque puellæ bona sua vendere potest. Nunquam tu hominem tam infelicem vidisti. lorum in aqua, non inguina habet. Ad summam, qualem putas esse, qui de Circes toro sine voluptate surrexit? His auditis Enothea, inter utrumque consedit, motoque diutius ca-

pite; Istum, inquit, morbum sola sum, quæ emendare scio. Et ne putetis perplexè agere, rogo ut adolescentulus mecum nocte dormiat, nisi illud tam rigidum reddidero quàm cornu.

Quidquid in orbe vides, paret mihi; Florida tellus,
Cùm volo, spissatis arescit languida succis,
Cùm volo fundit opes: Scopulique, atque horrida saxa
Niliacas jaculantur aquas: Mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. Mihi flumina parent;
Hircanæque tygres, & jussi stare dracones.
Quid leviora loquor? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis: Trepidusque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris: Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutavit Vlyxis:
Proteus esse solet, quidquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam.

Inhorrui ego tam fabulosa pollicitatione conterritus, anumque inspicere diligentiùs cœpi. Ergo, exclamat, ô Enothea, imperio para te: detersisque curiosè manibus, inclinavit se in lectulum, ac me semel iterumque basiavit. Enothea mensam veterem posuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus, & camellam etiam vetustate ruptam pice temperata refecit. Tum clavum, qui detrahentem secutus cum camella lignea fuerat, fumoso parieti reddidit: mox incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco apposuit, simulque pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, & sincipitis vetustissima particula mille plagis delata. Ut solvit ergo licio pannum, partem leguminis super mensam effudit, jussitque me diligenter purgare. Servio ego imperio, granaque sordidissimis putaminibus vestita curiosa manu segrego. At illa inertiam meam accusans improba tollit, dentibusque folliculos peritè spoliat, atque in terram veluti muscarum imagines despuit. Mirabile quidem paupertatis ingenium singularumque rerum quasdám artes *fames edocuit.*

Non Indum fulgebat ebur, quod inhæserat auro,
Nec jam calcato radiabat marmore terra,

Muneribus delusa suis: sed crate saligna
Impositum Cereris vacuæ nemus, & nova terræ
Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.
Hinc mollis stillæ lacus, & de caudice lento
Vimineæ lances, maculataque testa Lyæo:
At paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto: clavis numerabat agrestis.
Et viridi junco gracilis pendebat harundo.
Præterea quæ fumoso suspensa tigillo,
Conservabat opes humilis casa mitia sorba
Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbræ veteres, & passis uva racemis.
Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecates, quam Musa loquentibus annis
Battiadæ veteris mirando tradidit ævo.

Dum illa carnis etiam paululùm delibat: & coæquale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella, quæ staturæ altitudinem adjecerat, anumque suo pondere dejectam super foculum mittit. frangitur ergo cervix cucumæ, ignemque modò convalescentem extinguit. vexat cubitum ipsa stipite ardenti, faciemque totam excitato cinere perfudit. Consurrexi equidem turbatus, anumque non sine risu meo erexi: statimque ne res aliqua sacrificium

moraretur, ad reficiendum ignem in vicinia cucurrit. vix ad caſæ hoſtiolum proceſſerat, cùm ecce tres anſeres ſacri, qui, ut puto, medio die ſolebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt, fœdéque, ac veluti rabioſo ſtridore circumſiſtunt trepidantem: atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calciamentorum reſolvit ac trahit: unus etiam dux ac magiſter ſævitiæ, non dubitavit crus meum ſerrato vexare morſu. Oblitus itaque nugarum, pedem menſulæ extorſi, cœpique pugnaciſſimum animal armata elidere manu: nec ſatiatus defunctorio ictu, morte me anſeris vindicavi.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad cœlum fugiſſe reor, ſanieque fluentes
Harpyias, cùm Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ. tremuit perterritus æther
Planctibus inſolitis, confuſaque regia cœli
Viſa ſuas moto tranſcurrere cardine metas.

Jam reliqui revolutam, paſſimque per totum effuſam pavimentum conlegerant fabam, orbatique ut exiſtimo, duce redierant in Templum, cùm ego præda ſimul atque hac vindicta gaudens, poſt lectum occiſum anſerem mitto, vulnuſque cruris haud altum aceto diluo. Deinde convitium verens, abeundi formavi conſilium: conlectoque cultu meo ire extra caſam cœpi. Nec dum libaveram cellulæ

limen, cùm animadverto Enotheam cum testo ignis pleno venientem. Reduxi igitur gradum, projectaque veste, tanquam expectatem morantem, in aditu steti. Conlocavit illa ignem cassis harundinibus conlectum, ingestisque super pluribus lignis, excusare cœpit moram, quòd amica se non dimisisset tribus nisi potionibus è lege siccatis. Quid porro tu, inquit, me absente fecisti? aut ubi est faba? Ego, qui putaveram me rem laude etiam dignam fecisse, ordine illi totum prælium exposui; &, ne diutius tristis esset, jacturæ pensionem anserem obtuli. cùm protuli anserem, anus ut vidit, tam magnum æque clamorem sustulit, ut putares iterum anseres limen intrasse. Confusus itaque & novitate facinoris attonitus, quærebam quid excanduisset, aut quare anseris potiùs quàm mei misereretur. At illa complosis manibus, Scelerate, inquit, etiam loqueris? nescis quam magnum flagitium admiseris. Occidisti Priapi delicias, anserem omnibus matronis acceptissimum. Itaque ne te putes nihil egisse, si magistratus hoc scierint, ibis in crucem. Polluisti sanguine domicilium meum ante hunc diem inviolatum; fecistique, ut me quisquis volüerit inimicus sacerdotio pellat.

Hæc ait, & tremulo deduxit vertice canos,

Consecuitque genas, oculis nec defuit imber.
Sed qualis rapitur per valles improbus amnis,
Cùm gelidæ periere nives, & languidus Auster
Non patitur, glaciem resoluta vivere terra:
Gurgite sic pleno facies manavit, & alto
Insonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Tum ego, Rogo, inquam, noli clamare: ego tibi pro ansere struthiocamelum reddam. Dum hæc, me stupente, in lectulo sedet, anserisque fatum complorat, interim Proselenos cum impensa sacrificii venit, visoque ansere occiso, sciscitata causam tristitiæ, & ipsa flere vehementiùs cœpit, meique misereri, tanquam patrem meum, non publicum anserem occidissem. Itaque tædio fatigatus, Rogo, inquam, expiare manus pretio licet, si vos provocassem, etiam si homicidium fecissem? Ecce duos aureos pono, unde possitis & Deos, & anseres emere. Quos, ut vidit Enothea, Ignosce, inquit, adolescens sollicita sum tua causa: amoris est hoc argumentum, non malignitatis. Itaque dabimus operam, ne quis hoc sciat. Tu modò Deos roga, ut illi facto tuo ignoscant.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,

Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Iurisconsultus, PARET, NON PARET, habeto,
Atque esto quidquid Servius, & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis præsentibus opta,
Et veniet. clausum possidet arca Iovem.

Interea hæc satagens, Infra manus meas camellam vini posuit, & cùm digitos pariter extensos porris apioque lustrasset, avellanas nuces cum precatione mersit in vinum: & sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam ducebat: nec me fallebat, inanes scil. ac sine medulla ventosas nuces in summo humore consistere, graves autem & plenas integro fructu ad ima deferri. *Tum ad anserem adpellens sese* recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit. Imò, ne quod vestigium sceleris superesset, totum anserem laceratum verubus confixit, epulasque etiam lautas, paulò ante, ut ipsa dicebat, perituro paravit. Volabant inter hæc potiones meracæ. *

Profert Enothea scorteum facinum,

quod ut oleo & minuto pipere atque urticæ trito circumdedit semine, paulatim cœpit inserere ano meo. Hoc crudelissima anus spargit subinde humore femina mea. * Nasturcii succum cum abrotono miscet, perfusisque inguinibus meis, viridis urticæ fascem comprehendit, omniaque infra umbilicum cœpit lenta manu cædere. *Vrticis ustum, fuga subductum exæstuans consectatur.* * * Aniculæ, quamvis solutæ mero ac libidine essent, eandem viam tentant, & per aliquos vicos secutæ fugientem, Prehende furem, clamant. Evasi tamen, omnibus digitis inter præcipitem decursum cruentatis. *

Chrysis, quæ priorem fortunam tuam oderat, hanc vel cum periculo capitis persequi destinat.

* *

Quid huic formæ aut Ariadne habuit, aut Læda simile? quid contra hanc Helene, quid Venus posset? Ipse Paris Dearum libidinantium judex, si hanc in comparatione vidisset tam petulantibus oculis, & Helenem huic donasset, & Deas. Saltem si permitteretur osculum capere, si illud cœleste ac divinum pectus amplecti, forsitan rediret hoc corpus ad vires, & resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ. Nec me contumeliæ lassant, Quod verberatus sum, nescio: quod eje-

ctus ſum, luſum puto, modò redire in gratiam liceat.

* *

Torum frequenti tractatione vexavi, amoris mei quaſi quandam imaginem. *

* *Sic pervicax,*
Non ſolum me numen, & implacabile fatum
Perſequitur; prius Inachia Tirinthius ira
Exagitatus onus cœli tulit: ante profanam
Iunonem Pelias ſe ſit: Tulit inſcius arma
Laomedon: Gemini ſatiavit numinis iram
Telephus: & Regnum Neptuni pavit Vlyxes.
Me quoque per terras, per cani Nereos æquor
Helleſpontiaci ſequitur gravis ira Priapi.

* *

Quærere à Gitone meo cœpi, num aliquis me quæſiſſet. Nemo, inquit, hodie: ſed heſterno die mulier quædam haud inculta januam intravit: cúmque diu mecum eſſet locuta, & me accerſito ſermone laſſaſſet, ultimo cœpit dicere, te noxam meruiſſe, daturumque ſerviles pœnas, ſi læſus in querela perſeveraſſet. *

Nondum querelam finieram cùm Chryſis intervenit, amplexuque effuſiſſimo me invaſit, &, Teneo te, inquit, qualem ſperaveram: tu deſiderium meum, tu voluptas mea, nunquam finies hunc ignem

nisi sanguine extinxeris.

* * *

Unus ex novitiis servulis subitò accucurrit, & mihi dominum iratissimum esse affirmavit, quod biduo jam officio defuissem; rectè ergo me facturum, si excusationem aliquam idoneam præparassem. Vix enim posse fieri, ut rabies irascentis sine verbere considat: *

Matrona inter primas honesta, Philumene nomine, quæ multas sæpe hæreditates officio ætatis extorserat, tum anus & floris extincti, filium filiamque ingerebat orbis senibus, & per hanc successionem artem suam perseverabat extendere. Ea ergo ad Eumolpum venit, & commendare liberos suos ejus prudentiæ, bonitatique credere se & vota sua. Illum esse solum in toto orbe terrarum, qui præceptis etiam salubribus instruere juvenes quotidie posset. Ad summam, relinquere se pueros in domo Eumolpi, ut illum loquentem audirent, quæ sola posset hæreditas juvenibus dari. Nec aliter fecit ac dixerat, filiamque speciosissimam cum fratre Ephebo in cubiculo reliquit, simulavitque se in Templum ire ad vota nuncupanda. Eumolpus, qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer, non distulit puellam invitare ad Pygiciaca sacra. Sed & podagricum se esse,

lumborumque ſolutorum omnibus dixe-rat, & ſi non ſervaſſet integram ſimula-tionem, periclitabatur totam pené tra-gœdiam evertere. Itaque, ut conſtaret mendacio fides, puellam quidem exora-vit, ut ſederet ſupra commendatam bo-nitatem, Coraci autem imperavit, ut le-ctum, in quo ipſe jacebat, ſubiret, po-ſitiſque in pavimento manibus, domi-num lumbis ſuis commoveret. Ille lento parebat imperio, puellæque artificium pari motu remunerabat. Cùm ergo res ad effectum ſpectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut ſpiſſaret offi-cium. Sic inter mercenarium amicamque poſitus ſenex, veluti oſcillatione lude-bat. Hoc ſemel iterumque ingenti riſu, etiam ſuo, Eumolpus fecerat. Itaque ego quoque ne deſidia conſuetudinem perde-rem, dum frater ſororis ſuæ automata per cloſtellum miratur, acceſſi tentatu-rus an pateretur injuriam. Nec ſe rejicie-bat à blanditiis doctiſſimus puer, ſed me numen inimicum ibi quoque invenit: *

Dii majores ſunt, qui me reſtituerunt in integrum. Mercurius enim, qui ani-mas ducere, & reducere ſolet, ſuis be-neficiis reddidit mihi, quod manus irata præciderat, ut ſcias me gratioſiorem eſſe quam Proteſilaum, aut quemquam alium antiquorum. Hæc locutus ſuſtuli tuni-

cam, Eumolpoque me totum adprobavi. At ille primo exhorruit: deinde, ut plurimum crederet, utraque manu Deorum beneficia tractat.

* * *

Socrates Deorum, hominumque *judicio sapientissimus* gloriari solebat, quòd nunquam neque in tabernam conspexerat, nec ullius turbæ frequentioris concilio oculos suos crediderat. Adeo nihil est commodius, quam semper cum sapientia loqui. Omnia, inquam, ista vera sunt: nec ulli enim celeriùs homines incidere debent in malam fortunam, quam qui alienum concupiscunt. Unde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locellos, aut sonantes ære sacellos pro hamis in turbam mitterent? Sicut muta animalia cibo inescantur: sic homines non caperentur spe, nisi aliquid moderent.

* * *

Ex Af ica navis, ut promiseras, cum pecunia tua, & familia tua non venit. Captatores jam exhausti liberalitatem imminuerunt. Itaque aut fallor, aut fortuna communis cœpit redire ad pœnitentiam suam. * *

Omnes qui in testamento meo legata habent, præter liberos meos, hac conditione percipient, quæ dedi, si corpus meum in partes conciderint, & adstante

populo comederint. *Ne plus æquo exhorrescant* apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem suam faciant pejorem. His admoneo amicos meos, ne recusent, quæ jubeo, sed quibus animis devoveant spiritum meum, eisdem etiam corpus consumant. Excæcabat ingens fama oculos, animosque miserorum.

Gorgias paratus erat exsequi. *

De stomachi tui recusatione non habeo, quod timeam. sequeretur imperium, si promiseris illi pro unius horæ fastidio multorum bonorum pẽsationem. Operi modò oculos, & finge te non humana viscera, sed centies sestertiûm comesse. Accedet huc, quod aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. Neque enim ulla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur, & stomacho conciliatur averso. Quod si exemplis vis quoque probari consilium, Saguntini oppressi ab Annibale, humanas edêre carnes: nec hæreditatem expectabant. Petavii idem fecerunt in ultima fame, nec quidquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantùm ne esurirent. Cùm esset Numantia à Scipione capta, inventæ sunt matres quæ libero-

rum ſuorum tenerent ſemeſa in ſinu corpora. * *

Maſſilienſes, quoties peſtilentia laborabant; unus ſe ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea ornatus verbenis & veſtibus ſacris, circumducebatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis: & ſic projiciebatur.

* * * * *

* * * *

* * *

* *

*

FRAGMENTA

SUPERIORIS SATYRICI,

Quæ quibus in locis reponenda ſint, incertum eſt.

Candida ſidereis ardeſcunt lumina flammis,
Fundunt colla roſas, & cedit crinibus aurum,
Mellea purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteaque admixtus ſublimat pectora ſanguis:
Ac totus tibi ſervit honor, formaque Dearum
Fulges, & Venerem cœleſti corpore vincis.
Argento ſtat facta manus, digitiſque tenellis
Serica fila trahens pretioſo ſtamine ludis.
Planta decens modicos neſcit calcare lapillos,
Et dura lædi ſcelus eſt veſtigia terra,
Ipſa tuos cùm ferre velis per lilia greſſus,
Nulli ſternuntur leviori pondere flores.
Guttura nunc aliæ magnis monilibus ornent,

Aut gemmas aptent capiti: tu sola placere
Vel spoliata potes. Nulli laudabile totum,
In te cuncta probat, si quisquam cernere possit.
Sirenum cantus, & dulcia plectra Thaliæ
Ad vocem tacuisse reor, quæ mella propagas
Dulcia, & in miseros telum jacularis amoris.
Cor grave vulnus alit, nullo sanabile ferro,
Sed tua labra meo sævum de corde dolorem
Depellant, morbumque animæ medicaminis hujus
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Dissecet, atque tuæ moriar pro crimine causæ.
Sed si hoc grande putas, saltem concede precanti,
Ut jam defunctum niveis ambire lacertis
Digneris, vitamque mihi post fata reducas.

* * *

ALBUTIA.

* * *

Memphitides puellæ,
Sacris Deûm paratæ.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

* * *

Ægyptias choreas.

* * *

Balucatricem. * * * Pollice usque

que ad periculum roso.

* * *

Anus recocta vino,
Trementibus labellis.

* * *

Juverunt segetes meum laborem.

* * *

Triplici vides ut ortu
Triviæ rotetur ignis,
Volucrique Phœbus axe
Rapidum pererret orbem.

* * *

Non benè olet, qui benè semper olet.

* * *

Animam nostro amplexam in corpore

* * *

Qui, vultur jecor intimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasque fibras,
Non est, quem lepidi vocant poëtæ;
Sed cordis mala livor atque luctus.

* * *

Ad libidinis incitamentum, Myrrhinum se poculum bibisse. * * * In aumarium memet conjeci. * * * Obtorto valgiter labello. * * * Totus fere mundus mimum videtur implere. * * * Non duco contentionis funem, dum constet inter nos, quod fere totus mundus exerceat histrionem.

* * *

—— *O maxima rerum,*

Et merito pietas homini tutissima virtus!

* * *

—— Horrificoque infestãt murmure tigres,

* * *

Nam comptum me vernales alucitæ molestabant. * * * Postquam ferculum adlatum est. * * * Tot Regum manubiæ penes fugitivum repertæ, * * * Satis constat eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam. * * * Petauroque jubente modò superior. * * * Adfer nobis alabastrum Cosmianum, * * * Suppes. * * * Tullia.

* * *

—— Ineluctabile fatum

* * *

—— Tremebunda supervolat hasta.

* * *

Qui præesse cupit, prodesse recusat.
Magnus in exemplo est, cui non suffecerat orbis.

* * *

—— Exciso defossa marmore petra
Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exigua requievit humo. ——

* * *

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

* * *

Mille saporatam medicatis frugibus offam,

* * *

Non est forma satis; nec, quæ vult bella videri,
Debet vulgari more placere sibi.
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus,
Vincunt naturæ candidioris opus.
Condit enim formam, quidquid consumitur artis,
Et, nisi velle subest, gratia tota perit.

* * *

Nõ satis est, quod nos mergis furiosa juvẽtus:
Transversosque rapit fama sepulta probris?
Anne etiam famuli cognata fece sepulti
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona: cellaque capti
Deridet festram, Romuleamque casam.
Idcirco virtus medio jacet obruta cœno:
Nequitiæ classes candida vela ferunt.

* * *

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cœlo
Fulmina cùm caderent, discussaque mœnia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phœbus ad ortus
Lustrata dejectus humo, Lunæque senectus,
Et reparatus honos: hinc signa effusa per orbem,
Et permutatis disjunctus mensibus annus
Projecit vitium hoc: atque error jussit inanis
Agricolas primos Cereri dare messis honores:
Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palemque

Paſtorum gaudere manu. natat obrutus, omni
Neptunus demerſus aqua: Pallaſque cavernas
Vindicat, Et voti reus, & qui vendidit orbem,
Jam ſibi quiſque Deos avido certamine fingit.

* * *

Nolo ego ſemper idem capiti ſuffundere coſtum:
Nec toto ſtomachum conciliare mero.
Taurus amat gramen mutata carpere valle,
Et fera mutatis ſuſtinet ora cibis.
Ipſe dies ideo nos grato perluit hauſtu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

* * *

Vxor legitimus debet quaſi cenſus amari:
Nec cenſum vellem ſemper amare meum.

* * *

Invenias quod quiſque velit. non omnibus unum eſt
Quod placet: hic ſpinas conligit, ille roſas.

* * *

Nam nihil eſt, quod non mortalibus afferat uſum
Rebus in adverſis, quæ jacuere, juvant,
Sic rate demerſa fulvum deponderat aurum,
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Cùm ſonuere tubæ, jugulo ſtat divite ferrum,

Barbara contemptu prælia pannus habet.

* * *

Linque tuas sedes, alienaque littora quære,
O juvenis! major rerum tibi nascitur ordo.
Ne succumbe malis: te noverit ultimus Ister,
Te Boreas gelidus, securaque regna Canopi,
Quique renascentem Phœbum, cernuntque cadentem.
Major in externas Ithacus descendet arenas.

* * *

Nam citiùs flammas mortales ore tenebunt,
Quam secreta tegant: quidquid dimittis in aula,
Effluit, & subitis rumoribus oppida pulsat.
Nec satis est vulgasse fidem: simulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.
Sic commissa ferens avidus reserare minister
Fodit humum, Regisque latentes prodidit aures;
Concepit nam terra sonos, calamique loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

* * *

Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.
Nam turris prope quæ quadrata surgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit satur liquorem,
Et naris casiam frequenter odit.

Hoc illo magis aut minùs placere
Non posset, nisi lite destinata
Pugnarent dubio tenore sensus.

* * *

Jam nunc ardentes Autumnus fregerat umbras
Atque Hiemem tepidis spectabat Phœbus habenis:
Jam platanus jactare comas, jam cœperat uvas
Adnumerare suas desecto palmite vitis:
Ante oculos stabat quidquid promiserat annus.

* * *

Sic & membra solent auras includere venis,
Quæ penitus mersæ, cùm rursus abire laborant,
Verberibus rimantur iter: nec desinit ante
Frigidus strictis qui regnat in ossibus horror,
Quam tepidus laxo manavit corpore sudor.

* * *

Sic contra rerum naturæ munera nota
Corvus maturis frugibus ova refert:
Sic format lingua fœtum cùm protulit ursa,
Et piscis nullo junctus amore parit.
Sic Phœbeia chelys vinclo resoluta parentis
Lucinæ tepidis naribus ora fovet.
Sic sine concubitu textis apis excita ceris
Fervet, & audaci milite castra replet.
Non uno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

*   *   *

Naufragus ejecta nudus rate, quærit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.
Grandine qui segetes & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.
Funera conciliant miseros, orbique parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confusis feriemus sidera verbis;
Et fama est junctas fortiùs ire preces.

*   *   *

Omnia quæ miseras possunt finire querelas,
In promptu voluit candidus esse Deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis
Pugnantis stomachi composuere famem.
Flumine vicino stultus sitit; & riget Euro,
Cùm calidus tepido consonat igne rogus.
Lex armata sedet circum fera limina nuptæ,
Nil metuit licito fusa puella toro.
Quod satiare potest, dives natura ministrat.
Quod docet infrenis gloria, fine caret.

*   *   *

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et Cœli summas advocet auriculas:
Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram,
Et nisi nodatum solverit arte caput,
Exeptus populo, Graiam migrabit ad urbẽ,
Et non jejuna sabbatha lege premet.
Una est nobilitas argumentumque coloris
Ingenui, timidas non habuisse manus.

*   *   *

Suspecta isthæc & Petronii putantur.

T. PETRONII ARBITRI EUSCIUS.

* * *

Cerberus forensis erat causidicus.

* * *

Fœda est in coïtu & brevis voluptas,
Et tædet Veneris statim peractæ.
Non ergo ut pecudes libidinosæ,
Cæci protinus irruamus illuc:
Nam languescit amor, peritque flamma.
Sed sic, sic sine fine feriati,
Et tecum jaceamus osculantes;
Hic nullus labor est, ruborque nullus;
Hoc juvit, juvat, & diu juvabit,
Hoc non deficit, incipitque semper.

* * *

Accusare, & amare tempore uno,
Ipsi vix fuit Herculi ferendum.

* * *

——— *Et scuta latentia condunt.*

* * *

——— *Torva solum sub fronte latebat.*

* * *

Delos, jam stabili revincta terra,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis Deus catenis

Hac alta Giaro ligavit, illac
Constanti Myconæ dedit tenendam.

*   *   *

Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.

*   *   *

Dividias mentis conficit omnis amor.

*   *   *

Explicit T. Petronius Arbiter.

P. PET. RHETORIS DECLAMATIO.

*   *   *

QUid est Judices, dolus? Nimirum ubi aliquid factum est quod legi dolet. Habetis dolum, accipite nunc malum.

PETRONII GRAMMATICI FRAGMENTA.

HOratius: *Quis te redonavit Quiritem Diis patriis?* cujus nominativus est hic *Quirites.*

*   *   *

Classica à calando, i. e. vocando, sunt dicta.

PETRONII AFRANII EPIGRAMMATA.

Ad Martiam.

AVrea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirsutæ munera castaneæ.
Omnia grata mihi, sed si magis ipsa venires,
Ornares donum pulchra puella tuum.
Tu licet adportes stringentia mala palatum,
Tristia mandenti est melleus ore sapor.
At si dissimulas multùm mihi chara venire,
Oscula cum pomis mitte, vorabo libens.

De Hesperie.

Hoc sibi lusit opus de stamine floricolore
Hesperies teneræ officiosa manus.
Et pulchro pulchras strophio producta papillas.
Gaudet utrumque sui pectoris esse decus.

De eadem.

Hesperie lateri redimicula nectit eburno,
Facta suis manibus, pectore digna suo.
Jam veteres iras Venus & Tritonia ponit:
Pectora nam Veneris Palladis ambit opus.

De eadem.

Intertexta rosa Tyrii sub tegmine fuci
Involvet quoties mobile zona latus:
Ambrosium gemino potabit ab ubere rorem,

Et vere roseo fiet odore rosa.

De Neptuno marmoreo aquas fundente.

Quàm melior Neptune tuo sors ista tridente;
Post pelagus dulces hìc tibi dantur aquæ.

De puteo excavato in montis jugo.

Hunc quis non credat ipsis dare Syrtibus amnes,
Qui dedit ignotas visere montis aquas?

De amphitheatro vicino mari.

Amphitheatrales mirantur rura triumphos,
Et nemus insignes cernit adesse feras.
Spectat arando novos agrestis turba labores,
Nautáque de pelago gaudia juxta videt.
Fecundus nil perdit ager, plus germina crescunt,
Dum metuunt omnes hìc sua fata feræ.

Funambulus.

Stupea suppositis tenduntur vincula lignis,
Quæ fido ascendit docta juventa gradus:
Quæ super aërius prætendit crura viator,
Vixque avibus facili tramite currit homo.
Brachia distendens gressum per inane gubernat,
Ne lapsa è gracili planta rudente cadat.
Dædalus adstruitur terras mutasse volatu.
Et medium pennis prosecuisse diem:
Præsenti exemplo firmatur fabula mendax,

Ecce hominis cursus funis & aura ferunt.

De cretata facie.

Dum sumit Cretam in faciem Sertoria, Cretam
Perdidit illa simul, perdidit & faciem.

De Narcisso.

Invenit propriis Narcissus frontibus ignes.
Et sua deceptum torret imago virum.

De gallo gallinaceo.

Candida Phœbæo præfulgent ora rubore.
Crista riget radiis, ignea barba micat:
Alæ, colla, comæ, pectus, femur, ungula, cauda,
Præstanis lucent floridiora rosis:
Flammea sic rutilum distinguit pinna colorem,
Vt vibrare putes ignea membra faces?

De cato.

Mordaces morsu solitus consumere mures,
Invisum & domibus perdere dente genus,
Catus in obscuro cepit pro sorice picam,
Multiloquumque vorax sorbuit ore caput.
Pœna tamen præsens prædonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obsessis vitalis semita cessit.
Et satur escali vulnere captor obit.

Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hostem pica suum mortua discruciat.

Vinum limphatum.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Sejunctus quod sit ignis, & urat adhuc.

Musarum elogia.

Clio secla retro memorat sermone soluto:
Euterpæ geminis loquitur cava tibia ventis:
Voce Thalia cluens soccis Dea Comica gaudet:
Melpomene reboans Tragicis fervescit iambis:
Aurea Terpsichora totam lyra personat æthram:
Fila premens digitis Erato, modulamina fingit:
Flectitur in faciles variosque Polymnia motus.
Vranie numeris scrutatur munera mundi:
Calliope doctis dat laurea serta Poëtis.

In imbellem jactatorem.

Cùm te Barbatæ referas de sanguine cretum,
Vt tibi cognatus sit Varitinna ferox;

Cur tua femineo cæduntur pectora ſocco,
Infamique manu barbula vulſa cadit?
Deſine jam tibimet auctores fingere fortes
Vimque tuis membris ſtirpis ineſſe tuæ.
Illa ſed audaci mage ſit de ſtirpe creata,
Audet quæ proprium ſternere calce virum.

De orbis diviſione inter Saturni filios.

Juppiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent; tres tria, quiſque ſuum.

De elephante.

Monſtrorum princeps elephas proboſcidis armis
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo cùm bellua gliſcat,
Eſt tamen ex certis mors pretioſa feræ.
Nam quæ conſpicimus montani roboris oſſa,
Humanis veniunt uſibus apta ſuis.
Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtris,
Diſcolor & tabulæ calculus inde datur.
Hæc eſt humanæ ſemper mutatio mortis,
Fit moriens ludus qui fuit ante pavor.

De electione conjugii.

Moribus & vultu mulier quæratur habenda.
Horrida nam facies multo celatur ab auro.

Si quis erit sponsus talem qui ducat avarus,
Ipse suam horrebit; feritas dissolvet amorem.
Illa calens veniet, dorsum dabit iste calenti,
Cogeturque suo suras submittere asello,
Concupitu turpi mōstrum paritura biforme,
Quemque suum mulier timeat pertingere natum.
Discite formosas aurum superare puellas.

M. PET. VENUSTIANI EPIGRAMMA.

Liberta & conjunx Petronia cara patrono
Thallusa hoc tumulo condita luce caret.
Quæ bis vicenos compleret lucibus annos
Erepta est subitò conjugis e gremio.
Hanc sic assiduè deflet Petronius, ut jam
Deficiant oculos lumina cara suos.
Desine per terras, infernas tendere ad arces:
Fata animam dederant, fata eademque negant.

PET. ANTIGENIDIS PISAURENSIS EPIGRAMMATA.

De literarum æternitate, ad Appiam.

HÆc urbem circa: ſtulti monimenta laboris,
Quaſque vides moles, Appia, marmoreas
Pyramidaſque auſas vicinum attingere cœlum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die:
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
Intulit æternum quo Cleopatra virum:
Concutiet, ſternetque dies: quóque altius exſtat
Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt.
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

De Achille.

Cauta quidem genitrix, noceant ne vulnere nato,
Confirmat Stygio fonte puerperium.
Sed quia fas nulli eſt humanam vincere ſortem,
In membris tincti dant ſibi fata locum.

De Telepho.

Telephus, excellens Alcidis pignus & Augæ.
Externæ sortis bella inopina tulit.
Nam Graii Trojam peterent cùm mille carinis,
Tangeret & classis littus adacta suum;
Occurrens Danais forti dum pugnat Achilli,
Syria pugnanti percutit hasta femur.
Pro cujus cura consultus dixit Apollo,
Hostica quòd salubrē cuspis haberet opem.
Mox pretiosus flexi Pelidæ robore sacro
Injecto membris pulvere plaga fuit.
Monstrant fata viri vario miracula casu:
Vnde datum est vulnus, cōtigit inde salus.

In Xerxem.

Perses magnus adest, totus comitatur euntem;
Orbis. quid dubitas, Græcia, ferre jugum?
Mundus jussa facit: Solem texêre sagittæ:
Calcatur pontus: fluctuat altus Athos.

Item.

Hic, quem cernis, Athos, immissis pervius undis,
Flexibus obliquis circumeundus erat.
Accepit magno deductum Nerea fluctu,
Perque latus misit maxima bella suum.
Sub tanto subitæ sonuerunt pondere classes,

Cæruleus cana ſub nive pontus erat.
Idem commiſit longo duo littora ponte
Perſes, & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum, mundo nova ponere jura?
Hoc terræ fiat: hac mare, dixit, eat.

C. PETRONII HILARI

PISAURENSIS

EPIGRAMMA.

Dis manibus Petronii Antigenidis.

TV, pede qui ſtricto vadis per ſenta, viator
Siſte rogo, titulumque meum ne ſpreveris oro.
Bis quinos annos, menſeſque duos, duo Soles
In ſuperis feci tenerè nutritus, amatus:
Dogmata Pythagoræ ſenſi, ſtudiumque ſophorum
Et libros legi, legi pia carmina Homeri,
Sive quot Euclides abaco præſcripta tuliſſet:
Delicias habui pariter luſuſque procaces.
Hæc Hilarus mihi contulerat pater ipſe patronus.
Si non infelix contraria fata habuiſſem.
Nunc verò infernas ſedes, Acherontis ad undas,
Tetraque Tartarei per ſidera tendo profundi.

Effugi tumidam vitam. spes, forma valete.
Nil mihi vobiscum est; alios deludite quæso.
Hæc domus æterna est: hic sum situs, hîc
ero semper.

PET. APOLLODORI

PONTIFICIS ROMANI

EPIGRAMMA.

Μητέρι τῇ πάντων θνητῶν τε θεῶν τε
γενέθλῃ,
Ἀττιδ' ὑψίστῳ καὶ συνιέντι τὸ πᾶν,
Τῷ πᾶσιν καιροῖς, θεμερώτερα πάντα θυόντι
Κριοβόλου τελετῆς ἠδὲ ταυροβόλου,
Μυστιπόλος τελετῶν τοῦτον συνθήκατο βωμὸν,
Δῶρον Ἀπόλλωνος θεῖον ἔχων ἐπίκλην.

Petronius Apollodorus, vir clarissimus, Pontifex major, Quindecimvir sacris faciundis, Pater sacrorum Dei invicti, mithræ taurobolio criobolioque percepto, unà cum Rufa Volusiana, Caii filia, conjuge, xvj Kalendas Julias, Dominis nostris Valentiniano & Valente Augustis tertiûm Consulibûs, aram dicavit:

Hos versus sic transtulit Benedictus Hegius Spoletinus.

Cunctorum Cybelæ genitrici hominumque,
Deûmque.

Excelſoque Atti, quem nihil orbe latet,
Qui facit ut pura celebremus mente quotannis,
Crioboli feſtos, Tauroboliqne dies.
Qui cognomen habet de munere Apollinis: aram
Sacrorum Antiſtes marmoream hanc ſtatuit.

PETRONII LEVITÆ

EPIGRAMMA.

LEvitæ conjux Petronia, forma pudoris,
His mea diſcedens ſedibus oſſa loco.
Parcite vos lachrymis dulces cum conjuge natæ,
Viventemque Deo credite flere nefas.

ALCIMI

De Virgilio & Homero.

Mæonio vati qui par aut proximus eſſet,
Conſultus Pæan riſit, & hæc cecinit.
Si potuit naſci quem tu ſequereris, Homere,
Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.

EUGENII V. C.

Occumbunt fixi jaculo, mucrone, ſagitta,
Ora, latus, jugulum, Scæva, Rufinus, Atis.

Brutus Atim perimit, Milo Scævam, Cotta Rufinum:
Græcus Atis, Medus Scæva, Rufinus Arabs.
Jam vir Atis, ſed Scæva puer, juveniſque Rufinus:
Dux Atis, armiger at Scæva, Rufinus eques,
Scæva nothus, generoſus Atis, de plebe Rufinus,
Magnus eques, medius dux, famuluſque minor.
Flavus Scæva, niger Atis, inter utrumque Rufinus,
Blandus Atis, patiens Scæva, Rufinus atrox,
Abſque modo largus, laſcivus, parcus, avarus
Laudis Atis, formæ Scæva, Rufinus opum.
Arcu Scæva bonus, Atis armis, jure Rufinus:
Voce Rufinus, Atis carmine, Scæva lyra:
Scæva pila, curſuque Rufinus, Atiſque palaſtra,
Ore Rufinus, Atis corpore, Scæva coma.

DOMINI EVANTII V. C.

De Ambigenis.

Hæc ſunt ambigenæ, quæ nuptu diſpare conſtant.

Burdonem sonipes generat commixtus asellæ:
Mulus ab Arcadicis & equina matre creatus:
Tityrus ex ovibus oritur hircôque parente,
Musinonem capra ex vervegno semine gignit:
Apris atque sue setosus nascitur Ibris:
At lupus & catula formant coëundo lyciscam.

Q. CICERONIS

De mulierum levitate.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis,
Namque est femina tutior unda fide.
Femina nulla bona est: & si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

PENTADII

De vita beata.

Non est (falleris) hæc beata, non est,
Quòd vos creditis, vita, non est,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo jacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco.
Regales dapibus gravare mensas,
Et quidquid Lybico secatur arvo,

Non ulla poſitum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi favore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuare ferro.
Hoc quiſquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco ſuperbus.

SULPICIÆ

SATYRICON CARMEN,

sive Ecloga de edicto Domitiani, quo Philosophos Urbe exegit.

MVsa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium: quare nec carmine curro Phalæco,
Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cætera quinetiam, quot denique millia lusi,
Primáque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto,
Teque quibus princeps & facundissima, calles,
Aggredior precibus descende clientis, & audi.
Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras & patria secula mutat?
Quasque

Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, etiam rationis egenos,
Non aliter, primo quàm cùm surreximus ævo,
Glandibus, & puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus, & urbes;
Sed genus Ausonium, Romulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? Duo sunt quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, & socialibus armis,
In freta Siculiæ, & Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia, & totum simul abstulit orbem,
Omnia bellorum terra quæsita, marique.
Deinde velut stadio victor qui solus Achæo
Languet, & immota secum virtute satiscit:
Sic itidem Romana manus contendere postquam
Destitit, & pacem longis frænavit habenis,
Ipsa domi leges & Graja inventa retractans,

Omnia conſilio, & molli ratione regebat.
Stabat in his, neque enim poterat conſtare ſine ipſis,
Aut fruſtra uxori, mendaxque Dieſpiter olim,
Imperium Sine fine dedi, *dixiſſe probatur.*
Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
**Non trabe, ſed tergo prolapſus, & ingluvie albus,*
Et ſtudia, & ſapiens hominum nomenque genuſque
Omnia abire foras, atque urbe excedere juſſit.
Quid facimus? Grajos, hominumque reliquimus urbes,
Vt Romana foret magis his inſtructa magiſtris:
Nunc Capitolino veluti turbante Camillo
Enſibus & trutina galli fugere relicta,
Sic noſtri palare ſenes dicuntur, & ipſi
Vt ferale ſuos onus exſtirpare libellos.
Ergo Numantinus, Lybicuſque erravit in iſto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magiſtro,
Cætera & illa manus bello ſecunda ſecundo,
Quos inter priſci ſententia dia Catonis
Scire adeo magni feciſſet, utrumne ſecundis,

An magis adversis staret Romana propago.
Scilicet adversis. nam cùm defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit ut vespis, quarum domus arce Monetæ,
*Turba tegens strictis per lutea corpora telis.**
*Ast ubi apes secura redît, oblita favorum **
Plebs, fraterque unà somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa & gravis exitium pax
Hæc fabella modò pausam facit. optima posthac
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus, dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint. vel denique quidvis
Vt Dea, quære aliud. tantum Romana Calenos,
Mœnia, jucundos pariterque adverte Sabinos.
Hæc ego. tum paucis Dea me dignarier infit.
Pone metus æquos cultrix mea: summa tyranno
Hæc instant odia, & nostro periturus honore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,

Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale. manet hunc pulchrum tua fama dolorem
Musarum spondet chorus, & Romanus Apollo.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres:
Pæne fuit tanti non habuisse duos.

FINIS.

JO. BOURDELOTII IN PETRONIUM ARBITRUM.

NOTÆ CRITICÆ.

PAg. 1. lin. 10. *Nunc & rerum tumore, & ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu &c.* Tangit argumentum & theſes, de quibus antea. Igitur malè qui reſcribunt, *verborum tumore*. Pro rerum vel verborum tumore ſimpliciter *tumorem* dixerunt, Juſtinus lib 11. Arnobius lib. 2. Caſſiodor. Præfatione lib. 1. Gerbertus Epiſtol. 32.

Pag. 2. lin. 11. *Non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere qui in culina habitant.* Peſſimè quicumque iſti, qui *culinam* ſpurce latrinam interpretantur. Hic locus ex Plautina imitatione, Moſtell. Act. 1. Sc. *Jampridem.*

Ubi ſeſe ſudor cum unguentis conſo-

ciavit, illico.

Itidem olent quasi cum multæ jura confundit coquus.

Quid oleas, nescias, nisi id unum ut malè olere intelligas.

Ibid. lin. 18. *Nondum juvenes declamationibus continebantur.* An Petronianum sit *continuabantur*, quod reponit Svvaritius, valde dubito: *contineri* verò & Ciceronianum & aliorum minimè negandum.

Ibid. lin. 21. *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat.* Nec sensus nec ratio sana rescribentium *dolaverat*, patet legenti. De umbratico studio Juvenalis.

Pag. 3. l. 6. *Ne carmen quidem sani coloris enituit.* Sic Mss. & ratio. Frustra qui substituunt *caloris.*

Ibid. lin. 11. *Magnæ artis compendiariam invenit.* Contra Plinium, veritatem rei, & Mss. faciunt qui reponunt, *compendia jam invenit.*

Pag. 3. lin. 31. *Sine spe prædæ moratur in scopulo.* Malè reposuerunt, *moriatur.* Legendi Hesiodus Scuto Herculis, Theocritus Idyll. 1. 3. & 21. Hinc capio locum obscurissimum Lucilii, qui cum ait, —— piscinensisque recesque, intelligit morabundum sive speculatorem piscium, Ἰχθύων σκοπευτὴν, ut est in Colloquiis Græcis.

Pag. 4. lin. 8. *Pueris induunt adhuc nascentibus.* Mſſ. *adhuc innocentibus.* Utraque lectio tolerabilis.

Ibid. lin. 19. *Quod quiſquis perperam diſcit in ſenectute confiteri non vult.* Locus antea vitioſus à virgulis, quem nunc ſanum eſſe judico. Sophocles Oedipo Col.

Ibid. lin. 24. *Artis ſeveræ ſiquis, &c.* Mſſ. Artis ſecretæ, ut & repoſuimus. Dixerunt enim priùs, *Non te fraudabo artis ſecreto.* Poteſt tamen retineri *ſeveræ*, ſi reſpicias ad ea quæ dixit, *Vt juvenes ſevera lectione mitigarentur.* Quoniam tamen aliam lectionem habent Mſſ. hanc elegi.

Pag. 5. lin. 7. ——— *mittat habenas Liber.* Janus Guillelmus quique ſecuti ſunt, *mutet habenas.* Delibero tamen.

Ibid. lin. 17. *Dent epulas & bella, &c.* Rectè omnes priores editiones, *Dein epulas.* Deturparunt Correctores nuperi. *Epulas* tragœdiam interpretor. Herſius *prandia* dixit Sat. 1.

Sive opus in mores, in luxum, in *prandia* Regum. Sic accipio eundem Perſius Sat. 5. ubi robuſti carminis *offas*, interpretor tragœdiam. Aliqui tragœdiam & epicum carmen. quos refellit Perſius addens exempla tragœdiarum. Quid in hoc carmine eſſet *offa*, videtur vir clariſſimus Iſaacus Caſaubonus neſciiſſe cum ἔνθεσιν interpretatur. *Offæ* ſunt ut hîc *epulæ* &

olla Thyestæ in eodem Persio, & *cœnâ* & *prandia*, & *mensa* eadem Satyr. 5. Apud Martialem (lib. 4. Epigram. 49.

——— qui scribit *prandia* sævi
Tereos, aut *cœnam*, crude *Thyesta* tuam.

Epulæ istæ solita Tragœdorum materia Ælianus Var. lib. 2. cap. 11. Tangit Comicas Rodent, Act. 2. Sc. *Qui homo.*

Ibid. lin. 23. *Pierio defundes pectore verba.* Malè pro *pectore* substituunt *nectare.*

Ibid. lin. pen. *Dum juvenes sententias rident.* Nescio cur hîc reposuerint *juvenis*, mirorque hujus dictionis interpretamentum. Juvenes illi Scholastici Suasoriæ Agamemnonis sententias ridebant, quoniam non dixerat quæ probare soliti auditores. Persius Sat. 3.

Hoc populus ridet, multumque torosa *juventus*
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

Pag. 6. lin. 12. *Divinam ego putabam.* Adrianus Turnebus & Petrus Daniel reponebant *ducturam*: sed adscripta lectio sanior est; *Divina*, maga; ut multis dico ad Heliodorum.

Ibid. lin. 17. *Inter titulos nudasque meretrices.* Libri MSS. *inter angulos*, quam lectionem confirmat τὸ *locum secretiorem*, & *furtim spatiantes.* Qui *titulos* legi ma-

ſunt, accipiant non de titulis meretricis, qui quidem ſatis elucidati ab aliis Petronii interpretibus; ſed de juvenibus Venerem languentem ſcortis cujuſcumque ſexus irritantibus. Hos titulos ſcorta excipiebant antecœnio libidinis, ut fortiora prælium Cupidinis tentarent. Juvenes illos *Titulos* dici patet ex Cornuto ad illos Perſii Sat. 1.

Ingentes trepidare Titos ———

Locus autem, ubi proſtabant Tituli iſti, dicebatur ab ætate titulorum, *Ephebia*, ut patet apud D. Hieronymum. Locum illum ſic nondum intellectum illucidavit V. C. Jo. Savaro. Sunt & *Ephebia* apud Vitruvium, non longe ab his diverſa, in quibus pueri exercebantur, cap. 11. lib. 3.

Pag. 7. lin. 7. *Pro cella meretrix aſſem exegerat*. De cellis hujuſmodi copioſè Torrentius ad Suetonii Tiberium cap. 43. Mos natus ab obſcœnitatis lupa. quem morem ſic pluribus explicat Jul. Firmicus Maternus De error. profan. Relig. *Statuiſſe etiam ut quicumque initiari vellet ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem unum mercedis nomine Deæ daret*, Quidam hic legunt, *proſella*, unde *Sellaria* Tiberii loc. citant.

Ibid. lin. 13. *Vidi Gitona in crepidine*. Sic ſcripſimus, cùm ſecutæ Scaligerum Editiones poſtremæ invitis Mſſ. Gnito-

na ſuppoſuiſſent. Scimus quid hæc dictio ſonet in Lycophrone, apud quem ſolum me reperiſſe fateor. Sed & ſcripti & impreſſi plerique Codices lectionem noſtram tutantur. Amoris nomen illud, ut amoris origo, vicinia patet apud Ovidium fabulatorem narratione Pyrami. Solent autem Latini in ejuſmodi nominibus vocalem literam elidere. Unde miror virum illum trimegiſtum Iſ. Caſaubonum ſcripſiſſe ad illud Perſii Sat. 5. —— *lapidoſa chiragra.* Melius inquit, *cheragra*, ob metrum. Nam primam in eadem dictione ſyllabam corripuit Martialis:

Sed nihil patrono porrigis, hæc *chiragra* eſt. (Primam item in *Phidiæ*;

Lyſippi lego, *Phidiæ* putavi.)

Ita & Auſonius. Secundam in *orichalco* Virgilius. Æn. 8. Statius Thebaïd. 2. ſecundam in *Epirota* Auſonius. Copioſè de ablatione literæ e. Marcell. & Hermol. ad Plinium, Scaliger ad Auſonium.

Ibid. lin. 25. *Cùm ego proclamarem.* Ex Mſſ. & Virgilio reſcripſimus, Cùm ego *clamarem.* Idem poſtea, longè majore niſu *clamavit.*

Pag 8. lin. 8. *in diverſorio puer eſt:* Hæc vox apud ſcriptores ubique corrupta, præter unicum Philoxenum (in Gloſſis) qui tamen ſemel malè πανδη-

χθὺς, Diversoriarius. Idem ubique bene, ut paulò anteriùs πανδοχεῖον, *cauponium, diversorium*, V. C. Jo. Savaro ad Sidonium vult legi *diversorium*, corruptè. Idem Philoxenus originationis viam pandit, diverticulum, ἐκτροπὴ, ἔκνευσις, καταγώγιον. Idem καταλύω καταλύομαι *devertor*; scilicet ad hospitium temporarium, ad quod divertunt advenæ. Aliam tangit originationem Isidorus, sed debilis est. Marcellus etiam in mendo est, nisi legas, *deversoria*, à *devertendo*. Omnino autem improbanda est me judice Bartii lectio, *In diversorio pueri es*; quasi diversorium esset unius Gitonis.

Pag. 9. lin. 4. *Cum Gitone meo rationem diducerem. Deducerem*, legi ratio tritissima. Hinc jocus apud Suetonium in Julio, & Macrobium Saturnal. lib. 2. cap. 2. Tertia *deducta* est. Scio tamen quid hac in re deducere.

Ibid. lin. 16. *Quid vesticontubernium facis?* Frustra sollicitant optimam immò pessimam dictionem, sed quam agnoscit Pervigilium Veneris. [*Intelligit Grostotianum, ex quo J. Dousa filius aliquot versus primus edidit.*] Qui sub eadem veste jacent, dicunturq; vesticontubernium facere. Sic Aristoteles apud Athenæum lib. 1. Inde dicebatur Socrates cum Alcibiade vesticontubernium facere. Idem Athe-

næus lib. 5. cap. 13. Ipſe Socrates apud Lucianum. Apulejus lib. 2: Florid. quo loci nos plura.

Pag. 14. lin. 6. *Tam ambitioſus detonuit imber.* Pro hac lectione Solinus cap. 14. In quo bellorum civilium detonuerunt procellæ. *Imber* pro lacrymis, notum & Poëtæ omnibus paginis.

Ibid. lin. 14. *Vtique noſtra regio, &c.* Ante hanc clauſulam aſteriſcum adpingo, non ſolum meo judicio prorſus neceſſarium, ſed Mſſ. autoribus huic loco debitum.

Pag. 15. lin. 19. *Deſcendentes ab aure capillos meos dentatâ manu duxit.* Ita in omnibus ſcriptum. Olim, legebam *temerata*, non intelligens quid eſſet *temtata*: ſed idem eſſe ac *temerata* docent Gloſſæ veteres, in quibus *temtatum*, δοκιμασθὲν ἁμαρτηθέν. Rectè quidem ille: nam temtare verbum flagitii. Sic poſtea, *Acceſſi temtaturus an pateretur injuriam.* Jacob. Mſſ. in vita Sanctorum: De opere illicito *me temtavit.* Alii legunt *lenta*, alii *lentata*, alii *dentata*, alii aliter; omnes perperam.

Ibid. lin. 27. *Contemni turpe eſt*, &c. Imitatus eſt hunc locum Plinius Junior. lib. 6. Epiſt. 21. *Neque enim tam jucundum vindicari, quàm deſpici miſerum.* Retinui autem vulgatam lectionem in hoc

Epigrammate; corruperunt qui ſenſum non capiebant.

Pag. 16. lin. 1. *Comploſis deinde manibus.* Sic repoſuimus, veteres editiones ſecuti. Germana & Lugdunenſis editio minus commodè *compoſitis.* Ut in ſummo gaudio, ſic in dolore ſummo manus complodebant: ut patet apud Senecam lib. 1. De ira. Sic Lucianus Somnio, &c.

Ibidem lin. ultim. *Vt debeamus torti perire.* Mſſ. Cod. *tenti perire* edi curavimus. Videbat enim Aſcyltos ancillam quæ volebat in pavimento lodiculam extendere. *Extendi in lodicula*, ſupplicium eſt, quod vocant *tympanum.* De quo nos copioſè in ſingulari libro De ſuppliciis.

Pag. 17. lin. 7. *Duas inſtitas ancilla protulit de ſuris.* Conſentiunt Mſſ. Cod. cum hac lectione, quam qui mutare auſi, indignum facinus commiſerunt. Retinui autem lectionem priſcam *de ſinu.* cùm alias *de ſura* legatur.

Pag. 18. lin. 7. *Legitimo perfuſos oleo.* Hîc ſcripſerunt Correctores *lecitino*, duplici errore. *Legitimum oleum* quidam interpretantur, ceroma. Interpretor, maſculum. Callimachus in lavacro Palladis,

Τῶ ἐ νῦν ἄρσεν κομίσατε μοῦνον ἔλαιον.

Maſculum σκληρὸν ἢ πεπαλαιωμένον. Theophraſtus περὶ βδέλυς. Sic *cera legitima*

apud Ciceronem Verrina 1. Legendus ad Horatium V. C. Daniel Heinſius.

Pag. 19. lin. ult. *Molles, veteres, Deliaci manu reciſi.* Nihil hîc erat mutandum. *Veteres* illi ſunt, qui *veterani* in Catalectis.

Parce, premendus erit cùm *Veteranus* erit. Veteres tamen quædam Editiones retinent contra Mſſ. fidem. De Deliaco dico ad Pauſoniam *Reciſi* dicti & *Præciſi.* ut in incompto carmine, & apud Senecam De providentia cap. 5.

Pag. 20. lin. 5. *Perfluebant per frontem ſudantis*, &c. Rectè emendatum ſudantis. σοβοῦντος, μακλῶντος, καπρῶντος, ὀργωμένου συνουσίας, Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plutum. Et tamen me nolente Calcographi veterem retinuere. Facilis nobis ex ſequentibus fuit animus reſcribendi *ſubantis*: quam etiam correctionem antea Petronio neceſſariam viderat V. C. Th. Marcilius.

Ibid. lin. 14. *Vrbanitatis vernulæ fontem.* Has duas ultimas dictiones ex fide Veterum Mſſ. retinui, quæ in *Vernilia* & in *fontem* deformaverant. Scurrarum propriè frons urbana. Horat. Ep. lib. 1.

Frontis ad urbanæ deſcendi præmia---

Ibid. lin. 16. *Ne contubernali meo melius ſuccederet.* Bourdelotii editio: *ne contubernali meo non melius ſuccederet.* Senſus

ſiquidem poſtulabat, ut hanc negationem interponeres. Expreſſimus autem ſcripturam Codicum Mſſ. Nec te moveat duplex negatio, Vim enim unius obtinet. Marcellus in *Negativas* & *Fluminum De damno infecto* ff Qui volunt hæc ironicè accipi, animum ad loquentem Eumolpum non advertunt.

Ibid. lin. ult. *Pertractato vaſculo tam rudi Permutato*, primum nequitiæ verbum legimus, deinde interpretamur puellum, ſive pullum rebus Venereis nondum initiatum, &c. Magnam porro à me inibit gratiam qui docuerit qua ratione impulſi Correctores τῷ *pertractato* in tot prodigii monſtra mutaverint. Autor enim centonis notæque impudicæ Petronius voluit uti verbo rei convenienti. Sic poſtea, *Pertractavi* gaudio diſpoliatum torum. Sic in Auſonio.

—— *totum bene conſcia lectum*
Pertractat ſecura manus. ——

Et alibi pertrectare, attrectare, tractare; ejuſdem ſunt ponderis in tractatione ponderis obſcœni. Proh Pudor! cur te volo?

Pag. 21. lin. 29. *In ſecreto frater acciperet.* Sic poſtea, *Deprehenſus puer in ſecreto.* Malè igitur qui repoſuerunt *ſcorto*.

Pag. 22. lin. 18. *Commovebat valgiter labra.* Immo commovebat valgiter la-

bra. Locus alius dicendi de hoc poppyſmate.

Pag. 23. lin. 12. *Pila praſina exercebatur. Praſina* an ſparſina dixeris, haud refert. Quod ideo hîc moneo, quia cùm hunc locum liguriſſem in Epiſtola quadam nonnulli turpiter carpere auſi ſunt, & ſparſivam ſolum dici aſſeruerunt.

Ibid. lin. 26. *Trimalchio lautiſſimus homo.* Duas dictiones ultimas non eſſe gloſſema, ut quibuſdam viſum eſt, & præcedentia & ſequentia probant, confirmant etiam eas Mſſ. Falluntur etiam qui Trimalchionis nomen aſpirant, ſi fides numiſmatis ſervanda ſit. Servant adhuc nomen hoc vetera numiſmata; in quorum parte C. NERO AUGUST. IMP. in altera, TRIMALCHIO. Ex hoc video eos longè falli, qui Senecam cœnamque ejus deſcribi à Petronio arbitrantur.

Ibid. lin. 29. *Exonerata ille veſica.* Rectiùs Mſſ. exoneratâ illâ veſicâ. & magis hoc ad acumen Satyrici. *Exonerare* hoc ſignificatu poſtea. Sueton. in Claud. cap. 13. Paſſim Medici.

Pag. 24. lin. 29. *Pica varia intrantes ſalutabat.* Mſſ. *Vario.* quod ferri poteſt. (Bourdelotius in textum admiſit *variò.*) De his autem ſalutationibus & vocibus legendus C. V. Iſ. Caſaubonus ad Per-

sii Prologum.

Pag. 25. lin. 10. *Minervaque ducente* tænia intrabat.* Tollatur asteriscus. Haud dubiè respicit Petronius ad illud Senatusconsultum, *quo statutum aureum Minervæ simulachrum in Curia, & juxta Principis imago*, Tacitus Annal. 14. Reginas autem ambulare solitas tæniis ductis à spadonum vel juvenum grege, notum.

Ibid. lin. 26. *Quas in media porticu picturas haberet.* Et hoc loco superfluus asteriscus. *quas in medica p. h.* Rectè sic libri MSS. quos secutus Scaliger.

Pag. 29. lin. 7. *Interim dum ille omnium * testorum inter lusum consumit.* Locum corruptissimum sic emendari posse autumo, *Interim dum ille omnium numerum tesserarum inter lusum consumit.* Loquutus est autem de terebintinis & crystallinis tesseris. Hæc audacius protuli, quòd interpretes silere, atque Æsculapium rogare animadverterem.

Ibid. lin. 21. *Non minus sex libras pendentia.* Retinuimus priscam lectionem, quæ, licet mimica, proba tamen est.

Pag. 30. lin. 19. *Obvii & per discessum servi minorem nobis æstum sublata frequentia faciant.* Quinam Amphilo & Tropho adeundi fuerint ad loci desperati medicinam, patebit, ei qui remedium morbo proposuerit. Interim ut aliquid tanquam

ex ſomnio promam, bonâ veniâ Criticorum Deæ legebam, *minorem nobis æſtum ſua frequentia facient: Obediunt ei paratiſſimi ſervi.* His nunc in modum tranſpoſitis, aliquis videtur ſenſus elici poſſe. Sed tamen interpretatione lenienda eſt correctionis auſteritas. Non moror quid Gruterus aliique viri doctiſſimi hoc de loco ſentiant. Refero iſta ad menſas cuique aſſignatas, minorem æſtum ſuâ frequentiâ facturas, ſi convivæ ſcilicet propriam peculiaremque menſam haberent. Ex hac interpretatione in poſtremis hiſce Petronii verbis nihil eſſe mutandum perſpicuum eſt. Reſpicit autem in aſſignanda cuique menſa Heroum ſive Homeri tempora, quibus ſolita cuique menſa aſſignari. Athenæus lib. 1.

Idem ritus apud Germanos, ut patet apud Tacitum De moribus Germanorum. Repoſui autem, *paratiſſimi ſervi*; dixerat ſiquidem ſuperius, *paratiſſimus puer*. Hæc mea interpretatio longiori fortè narratione indiget: ſed in hoc opere ſum Laco.

Ibid. lin. antepenult. *Verum Opimianum præſto. L. Verum eſſe Opimianum præſto.* Retinuimus hanc lectionem, quam Mſſ. firmant & Scaliger. Quidam τὸ ἐγκώμιον Scaligeri veramque hujus loci rejicientes legunt *præſtans*: quod idem

valet ac *valens*; ut apud Corn. Celsum lib. 2. cap. 18. Vinum aut mustum magnæ vetustatis *valentissimi* generis esse dicit. De Opimiano Vellejus Paterculus lib. 2. Hic est Opimius, à quo consule celeberrimum *Opimiani* nomen. Posteriores editiones in Vita Velleii mente & brevitate appinxerunt *Vini*, ut & Petroniani Critici hoc loco.

Pag. 31. lin. 21. *Super taurum: bubule frustum*. Sic rectè in Mss. & ita legebat Scaliger. Cur bubulæ frustum ponat in viles cibos non video, cùm apponatur Principum mensis, nisi comparatione facta ad elegantias & luxum. Inter viles etiam cibos carnem bubulam legas apud Lampridium in Heliogabalo.

Ibid. lin. 25. *Super virginem, stericulam*. Quærendus Æsculapius qui desperato loco medeatur, ut & illi.

super sagitarium, odopetum.

Nolo enim ex simplici conjectura quidquam asserere. Quod si aliorum interpretamentum valet, non per me stabit quin, Lector, tibi placeat.

Ibid. lin. 27. *Scriblita*, lege potius *Striblita*, sicque reponendum apud Plautum Prologo Pœnuli.

Super sagitarium. Ante hæc verba reponendum esse asteriscum, miror neminem monuisse, præter ultimam Editionem.

Signum ſcilicet excidit, ſcilicet *Scorpius*, cum convenienti cibo, qui qualis fuerit, quærendum.

Pag. 32. lin. 3. *Circumferebat Ægyptius puer*, &c. Lege *Circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem de laſerpiciario milio, atque ipſe etiam teterrima voce canticum extorquet.* Hunc locum primi nos ſic emendavimus veritatem ſecuti: nec indignamur, imo favemus ac plaudimus meliorem lectionem reponentibus. Quis uſus fuerit Laſerpitii tangit Theophr. lib. 6. Hiſt. Plamat. cap. 3. Dioſcorides lib. 3. cap. 78. Celſ. lib. 4. Interpretes Catulli.

Teterrima voce canticum. Sic antea, *acido canticos.* Falluntur qui aliter legunt: patet ſiquidem, retinendam veterem lectionem ex dictione ſequenti *extorquet.*

Ibid. lin. 20. *Non minus & Trimalchio*, &c. Hunc integrum locum ſic puto poſſe legi. *Non minus Trimalchio lætus, ejuſmodi methodio* CARPE, *inquit.* Methodium in *Carpe Methodium* & *Methodum* explicat Scaliger ad Auſonium Epigrammate in Theonem. Sed ibi Scaliger Auſonium corrumpit, nam pro *methodo*, Scaligeri retinendum eſt *metocho*, ut in Mſſ. & editione Vineti. Sententia Satyrici ſatis rotunda, ſed verba, ſi verba, ſi verum amamus, neutiquam.

Pag. 55. lin. 24. *Penes Mopſum Thracem memorata eſt.* Lege *morata.* Duæ litteræ priores adhæſerant huic dictioni ex præcedenti.

Pag. 56. lin. 4. & ſeqq. *Pietaticultrix.* Sic eſſe legendum patet apud Caſſiodor. Epiſt. 14. lib. 2. Ælian. Hiſt. Animal. lib. 3. cap. 24. lin. 8. cap. 22. Sic apud Phædrum leg. *nemoricultrix.* ut *ſylvicultrix* apud Horatium. Retinuimus in hoc poëmatio *grata, peregrina.*

Titulus tepidi temporis, Lego, *pipulus.* Caſſiodor. loc. cit. lætitiam verni *temporis* introducens. Ibi olim legebam, verni *teporis.* Totam enim hanc Epiſtolam pius & eruditus ſcriptor videtur à Petronio mutuaſſe. Pacatus Panegyrico ad Theodoſium vocavit, peregrinam aëris volucrem alieni *temporis* florem. Talis hirundo & luſcinia dicitur *Veris nuncia.*

Ibidem. *Probitas eſt carbunculos.* Ἀ᾽ρχαιγῶς. Color carbunculi indicium eſt probitatis, ut patet apud authorem librorum ſacrorum Moſem, & graviſſimum ſcriptorem Philonem Judæum, ubi loquitur de habitu Eſſæorum. Tangit Laertius lib. 6.

Ibid. lin. 20. *Itaque cùm horâ penè totâ per omnes ſcrupos gaſtrorumque eminentium fragmenta, traxiſſemus cruentos pedes.* Alii *glarearumque eminentium frag-*

menta. Bourdelotius edidit, *per omnes ſcrupos grumorumque eminentium fragmenta.* Atque hæc ejus nota eſt.
Glarearumque e fr.) Scio quod alii repoſuerint, Propter Mſſ. ſcripturàm in quibus *grurumque*, non incommodè videtur poſſe legi. *grumorumque* Et ita Scaliger, aliique poſt eum. Scio quid propriè *Grumi* οἱ διορίζοντες τοὺς ὅρους λίθοι, ut rectè Gloſſarium vetus, ubi tamen malè *Grimini* pro *Grumi*. Eædem enim Gloſſæ *Grumos* τύμβους interpretantur, quos Latini *pilas*, *obices*, *aras*, Cyrenenſes βουνοὺς, Attici μάρτυς vocant. Heſychius, qui etiam θριγκαι nuncupat. Quid ſint gaſtræ, alii interpretantur, ſcilicet Vaſa urinarum. Interpres Vet. D. Chryſoſt. Hom. 3. Et contra grumos calcitrans ſuos pedes *cruentat*,

Pag. 40. lin. 12. *Stabuli januam effregit, & nos per eandem feneſtram admiſit.* Neſcio quis primus hunc locum corrupit, nec vidit *eandem* referendam ad januam effractam. Lego, *per eandem intro admiſit* Ib.

Pag. 88. lin. 4.

——— *Valete curæ:*

Mortalis ego ſic perire cœpi.

Verſum alium ſubſtituunt, ut ſolet, qui hunc non capiunt; & ſanè cuivis ſatis facilis. Si quid ingenui ſanguinis habeo,

credo Satyricum voluiſſe dicere ſe non amplius perit mortalis, qui ἀποθνήσκει desinit mortalis eſſe: divinatur autem. ſive fit Deus qui mortalitatem exuit. Itaque dixerat antea, *Valete curæ.* Tangit ſcilicet gloriationes Veneriorum, qui ex iſtis frivolis divinitatem metiuntur & mentiuntur. Plautus Curcul. Act. 1. Sc. *Placide ſum Deus.* Terent. Heaut. Act. 4. Propert. alii.

Pag. 90. lin. 4. *Cùm fortuna manet vultum ſervatis amici.*

Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Imo, *Cùm cecidit.* Sic legendum eſſe declarat dictio *manet* Attico ſignificatu μένει.

Ibid. lin. 10. *Vera redit facies, diſſimulata perit.* Relictis conjecturis, quæ locum huc obruerant, legebam, *aſſimulata.* Dictio Comica, & hujus rei. Virg. Æn. 10. Divini *aſſimulat* capitis, &c.

Ibid. lin. penult. *Cujus anni ad teſſeram venerunt.* Sic libri omnes. Id eſt cujus anni creverunt inter teſſeras, vinum, ſcorta. Ammianus Marcellinus lib. 28. Omne quod vivunt, vino & *teſſeris* impendunt. Scio quid de hoc loco reſcribant alii, atque de ſua lectione ſentiant. Sed non ſine fuco. Ita autem deditii Romæ teſſeris à pueritia, ut nata eſſet *ars teſſeraria.*; quæ quoniam ſecretioribus

quibuſdam notis diſcebatur, juncta eſt *magiæ.* Idem Marcellin. lib. 4.

Pag. 91. lin. 1. *Quid ille alter * die, qui tamque* Bourd. Edit. *Quid ille alter?* proh Dii! Lipſius ex veſtigiis priſcæ lectionis, ô Dii. Vetus ſcriptura eſt *Quis illo altero die?*

Ibid. lin. 4. *Qui poſtquam conturbavit.* Quidam Codicis locum mutilum ſubodorarunt. In Mſſ. *Conturbavit omnia.* ut Attius apud Marcellum:

Perturbat rem omnem ac reſupinat, ſoror.

Terentius And. Act. 3. Sc. 4. Jam *perturbavi* omnia Catullus Carm. 5. Et fortaſſe ſic reponendum: ſed non ſtatuo.

Ibid. lin. 8. *Vnius noctis tactu omnia vendidit.* Retinuimus hanc lectionem, ſi Mſſ. ſequimur, probam; ſi ſenſum, improbam. * Hiſpanus quidam primus hanc corruperat, ignorans fortaſſe in Martiale ſuo *tactum* & *tangere* eſſe impudica. Hinc Plaut. dialog. in Aul. Juv. Sat. 1.

**Iſte eſt*, DON RAMIREZ DE PRADO.

Pag. 92. l. 5. **Non bibit inter aquas, &c.* Ante hoc Epigramma delemus aſteriſcos: Ignoſcite: nihil hîc deberi credimus: planus eſt & facilis ſenſus, ſi rectè proximè præcedentia ponderentur.

Ibid. lin. 13. *Nemo Jovem pluris facit.* Hæc intelligenda ſunt & exprimenda

cum

cum gestu, qualis Versus ille Publii Syri:
A morte homines semper tantumdem absumus.

Pag. 93. lin. 1. *Cum ipsius naturæ veritate certantia.* Errant qui hoc ponunt, *naturæ varietate.* Etiam apud Statium II. Thebaïd.

——— Vivis *certantia* vultibus æra.

Corrumpunt locum qui aliter legunt. Habet enim à Virgilio, apud quem *spirãtia æra*, non *ora.* Sic Petronius postea, Qui penè hominum animas ferarumque *ære* comprehenderat.

Ibid. lin. 4. *Quem Græci monocromon appellant.* Hanc emendationem debemus doctissimo Scaligero, nam ibi Mss. etiam in mend. Ferri enim potest & MONOCROMON, *d'VNE COVCHE.* Contra pictura Jalysi tetrachromon. Vulgo malè, *monocremon.*

Ibid. lin. 17. *Nemini tamen injuriam fecit.* Frustra sunt qui reponunt *talem.* Nec attendunt ad amores Jovis, qui discedens deceptarum animos lætitia mulcebat.

Pag. 94. lin. 5. *Quare, inquis, tam malè vestitus es?* Legendum *inquio.* Simile autem illud Carionis apud Aristophanem. Pluto. Act. 12. Sc. 1. cùm enim cæcus dixisset se esse Plutum, dicit Cario.

ὁ πλοῦτος οὕτως ἀθλίως διακείμενος.

Pag. 98. lin. 8. *Erectus his sermonibus.* Quid hac in parte Petronio exciderit, incognitum; partem autem esse Philosophicæ disputationis, sequentia denotant.

Ibid. lin. 24. *In cacumine excelsissimi montis consenuit.* Ita legendum, non *conscendit*; patet veritate Historica, Mons ante ille turris fuit seu specula, quam Cnidii populares Eudoxi venerabantur, & vocabant σκοπὴν Εὐδόξου. Sic Cassius apud Tacitum Annal. 4. Saxo Scriphio *consenuit*, & sic rectè Lugd. Edit.

Pag. 99. lin. 24. *Graculi delirantes fecerunt.* Post hæc, devium & fugitivum Epigramma retraho; causam novit qui Petronium attentè legit.

Non satis est, quod nos mergis furiosa juventus,
Transversosq; rapit fama sepulta probris.
Anne etiam famuli cognata face sepulti,
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona, cellaque capti
Deridet vestram Romuleamque casam:
Idcirco virtus medio jacet obruta cano,
Nequitiæ classes candida vela ferunt.

Pag. 100. lin. 6. *Irata virtus abditur,* —— Ingeniosè qui reposuerunt *jurata.* Scripta tamen lectio ferri potest.

Pag. 101. lin. 8. ---- *Liberæ ponto jubæ Consentiunt luminibus;* ——

Desperatum locum sic puto posse restitui,

——— *Liberæ portum jubæ*
Conscendunt ———

Quod convenit cum Virgilio in pari narratione lib. 2. Potest etiam ő *pontem* retineri, ut apud Statium 8. Thebaïd.

· Contendisse putes uter arva arbustaque tollat
Altius an superet *pontes*. ———

Emendationem autem nostram in Petronium introduxi, & volui, an debuerim, Critici judicare. Nescio quem sensum hîc capiant qui legunt *ponto* & *consentiunt*.

Pag. 102. lin. 8. *Continuat in mortem ultimam*. Homerus Iliad. 7. & apud alios apud quos juncti somnus & mors. Douzæ tamen duo hîc legunt, *in noctem ultimam*. Scripta lectio toterabilis.

Pag. 103. lin. 14. *Pœnitentiam Judicis tui puni*. Rectissima scriptura: & miror quosdam corrupisse. *Judicis* Gitonis; ut ante, commisi *judici* litem.

Pag. 104. lin. 28. *Ascylti partem*. Qui hanc ultimam vocem mutant, non animum advertunt ad ambiguitatem verbi, quam pudor meus non explicat.

Pag. 105. lin. 25. *Tanto magis impedit inguina. Impendit*. Nescio quamnam hic salsam ironiam deprehendant.

Pag. 107. lin. 6. *Nec injuriam Encol-*

pius accipit, alium amat. Post hæc insero rei conveniens Epigramma:

Linque tuas sedes, alienaque littora quære
O juvenis, major rerum tibi nascitur ordo.
Ne succumbe malis: te noverit ultimus Ister,
Te Boreas gelidus, securaque regna Canopi,
Quique renascentem Phœbum, cernuntque cadentem,
Major in externas Ithacus descendat arenas.

Ibid. lin. 29. *Et jam semicinctio stanti.* Sic legendum Mss. testantur. Malè qui *hianti* reponunt, &c.

Pag. 108. lin. 9. *Periturus per præcipitia fui.* Retinuimus hic veterem scripturam.

Pag. 112. lin. 14. *Irrumpit perturbatus.* V. C. perturbaturus. quod etiam viderant Interpretes. Prior lectio tolerabilis.

Pag. 114. lin. 29. *Unus, & senex non erit gravis.* Val. Max. lib. 2. cap. 1. *uno & sene.*

Ibid. lin. ult. *Opus anhelitu perdet.* Corrumpunt hunc locum contra Mss. Cod. qui legunt, *anhelitu prodet. Perdet* retinendum esse patet ubique. In senibus autem maxima spiritus difficultas, ut pa-

tet fabulis Plautinis, & apud Æſchinem in Epiſtolis, Hippocratem Aphoriſ. ult. & Celſum lib. 2. cap. 2.

Pag. 118. lin. 22. *Ego vos in duas pelles conjiciam.* Emendo, *conſuam.* Sic Dardanus apud Lycophronem. Citat hunc locum V. C. Jacobus Cujacius obſervat, lib. 4. Videtur autem tangere Colchorum legem, de qua Ælianus Var. lib. 4. cap. 2.

Pag. 120. lin. 20. *Frontes notans inſcriptione ſolerti.* Invitis omnibus libris, ipſaque Petronii dictione reponunt, *ſolenti.*

Pag. 121. lin. 19. *Facetiſſima ratione condemnat.* Ante poſtremas Editiones retrahebam fugitivam Epigramma penè puer: an ſit Eumolpî, quidam fortè dubitant; an rei conveniat, nemo.

Somnia quæ mentes ludum volitantibus umbris.
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt;
Sed ſibi quiſque facit, &c.

Pag. 122. lin. 19. *Divinæ mentis opera.* Quid velint hujus loci Interpretes, divinare non potui. *Divina mens* mihi Deus eſt, νοῦς Qua de re copiosè alibi.

Ibid. lin. 21. *Æſius nomine. Ætius nomine* rectè repoſuimus; & res ipſa per ſe loquitur. Etymologicum, Ἄιτιος, ὁ τὴν

αἰτίαν τουτέστι τὴν ἀφορμὴν δοῦς. Hoc nomen huic rectissimè convenit.

Pag. 127. lin. 16. *Quæ salamandra supercilia tua excussit?* Sic in Mss. & ferri potest, ut *sola* apud Virgilium 3. Æneïd.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Vel *sola* referendum ad vim salamandræ, quæ *potens* dicitur Sereno Sammoniaco cap. 8.

Defluit expulsus morbo latitante capillus,
Si raro lavitur, seu vis epota veneri
Vel Salamandra *potens* ———

De hac Plinius lib. 10. cap. 63. Dioscorides lib. 2. cap. 55. Martialis lib. 2. Epigram. 66.

Pag. 129. lin. 9. *Non stlatarium bellum. Statarium bellum* rectè. Potuit tamen retineri *tralatitium*, ut ex quibusdam Mss. alii reponunt. Est igitur ἐργόμφιον de qua dictione Gl. Vet.

Pag. 130. lin. 23. *Epulæque ad certamen prolatæ.* Legendum cum Mss. *ob certamen prolatæ*, intermissæ.

Pag. 131. lin. 8. *In calvos stigmososque.* Mira est Correctorum audacia. Encolpius & Giton calvi & stigmosi, ut docuit clarè Petronius; & tamen alii legi volunt, *erginososque*, alii *silenos*, scilicet

οἷς τὸ αὐτὸ, calvos & ſilenos.

Pag. 132. lin. 9. *Tralatitia deformitate.* Lego, *tralatitia formoſitate.*

Ibid. lin. 15. *Flavicomum corymbion erat.* Scripti codices *flavicomum* tolerabili, quam retinemus, lectione. Fœminæ potiſſimam curam habebant corymbii flavicomi. Copiosè dicimus ad Pauſaniam. Viris etiam Veneriis ſtudium tantum, *ut capiti auri ramenta reſpergerent, quo magis comi illuminata flaveſceret.* quæ de Vero notat Jul. Capitolinus in Vero, & Trebellius Pollio in Galieno. Has delicias tangit quidam Interpres Horatii, ad illud.

Cui flavam religas comam, &c.

quæ copioſius, ut dixi, ad Pauſani.

Pag. 134. lin. 20. *donec ancilla vini. certè ab eo odore corrupta.* Corruptum locum emendo, *vini cibique* Mſſ. *Vici citi.* Confirmat emendationem Petronius dum ſubjicit, *refecta potione & cibo*, & alibi, *nec minus avidè replevit ſe cibo quàm ancilla.* Et, *non cibum, non potionem capiebam.* Sic vinum & cibus jungi ſolita, ut apud Homerum Iliad. 5. & 9. & paſſim. Heſychius Illuſt. Principis Vit. Philoſ. Juvenalis Sat. 5. Claudianus Epigr. 33. Scribonius Largus Præfat. lib. de Compoſit.

Ibid. lin. ult. *reluctantibus fatis extin-*

ctum. Hæc abſunt à Mſſ. nec illa agnoſcit editio Patiſonij. Credebant vi quorundam lapidum reluctantibus fatis animas in corpora redire. Orpheus poëm. λίθων. Eadem vis plantis quibuſdam & floribus, de quibus Etymologicum V. βίλλω.

Pag. 135. lin. 20. *Ne hanc quidem mulier partem corporis abſtinuit.* Sed poſtea, *Cum illa parte corporis.* Marius apud Saluſt. Cicer. lib. 9. Epiſt. ad Familiares, Apulejus Aſin. lib. 7. Prudentius Cathemerin. D. Hieronymus Epiſt. 61. Miror ex Interpretibus non peſſimis unum ad hunc locum ita ſcripſiſſe, adhuc quærimus interpretem huic loco.

Pag. 136. lin. 16. *Malo mortuum impendere.* Lego, *pendere*, ſenſu ita poſtulante.

Ibid. lin. 22. *Qua ratione mortuus iſſet in crucem.* Huc inſeri volui Epigramma in mulieres:

> Fœmina nulla bona eſt, aut ſi bona contigit ulla.
> Neſcio quo pacto res mala facta bona eſt.

Attribuitur Ciceroni, an Quinto fratri, incertum. Natat inter Fragmenta Auſonii & Petronii, &c.

Pag. 139. lin. 20. *Juncta nos mors feret.* Hunc locum malè aliter legit Petrus Daniel.

Pag. 140. lin. 20. *Porcam mugientem.* Dixerat antea, *tanquam cupientis exire belluæ.* Non igitur attenderunt, qui mutare ausi sunt.

Ibid. lin. 29. *Viventibus oculis.* Loco hujus lectionis pravam substituunt.

Pag. 142. lin. 13. *Rogus collatus manibus.* Scripsimus, *Rogus collectus*; & sic ferè in omnibus Editionibus & Mss. Manilius lib. 4.

Et collecta *rogum* facerent fragmenta carinæ.

Ibid. lin. ult. *Crotona urbem antiquissimam, & aliquando Italiæ primam.* Cicero 1. Offic. *Crotaniatæ* quondam cum floreret omnibus copiis. Interpres Mss. Viri Clarissimi D. Amelmi: *Crotoniatæ*, Romani. De Crotone, passim obvia; ut apud Strabonem lib. 6. apud Jamblich. lib. 8. De vita Pytagoræ, Interpres Lycophron: ad Alexandr.

Pag. 143. lin. 21. *Eumolpus convertit.* Bernartius ad Statium malè legit, *advertit.*

Ibid. lin. seq. *Genusque divinationis.* Non omnino spernenda lectio, *divitationis.* Respicit enim illud, *qui vero nec uxores, &c.*

Ibid. lin. 26. *Sufficeret largior scenæ?* Censeo non movendam optimam lectionem. Sic idem hac de re postea. Et ne

quid *scenæ* deesset. Et docuimus antea verbum esse theatrale, *convertit*, quod quidem paulò antè etiam reperit.

Pag. 148. lin. 16. *Et laxi crines,* —— Ut apud Lucanum lib. 10. & alios. Nec improbo, *lixi*.

Ibid. lin. 21. --- *Maculis imitatur vilibus aurum.* Intelligit lignum reticulatum, de quo Seneca in Epistolis. Plinius lib. 33. cap. 12. Rectam autem puto lectionem Mss. Cod. quæ sic habet ut recepimus: *minitatis vilibus auro.*

Ibid. lin. 27.

——*Conceptis miles vagus extruit armis.*

Corruptis legendum esse patet apud Ammianum Marcellinum lib. 22. *Corruptis* contra institutum militiæ Romanæ, & sacramentum militare.

Pag. 153. lin. 27.

—— *& in æthera fulmina mittit.*

Flumina πολὺ χρότερον quàm *fulmina.* Accius apud Cicer. 2. de Natur. Deor. Virgil. 1. Georg. Sulpicius Severus in Ætna, Ovid. Exul. Eleg. 10. lib. 2. dixit *Ætneos lacus.* Strabo lib. 6. Interpres Æschyli ad Prometh. vinct. Solinus cap. 11. Sic & Mss. autores illi caussæ meæ patrocinantur. Nec tamen omnino improba est lectio vulgaris.

Pag. 155. lin. 1.

—— *sexagintaque triumphis.*

Ex fide historica lego *quinquaginta*. Ratio patet apud Solinum cap. 6. qui prælia Cæsaris narrando, quinquaginta prælia vicisse, bis sinistrâ manu præliasse asserit. Minùs rectè Plinius libr. 7. cap. 25. qui emendationem accipiet à Solino. Itaque Cicero Cæsar. 1. dum laudat Cæsarem dixit *numerum præliorum* ἀνεξηγήτως, ut hoc loco, si retineatur vetus lectio.

Pag. 156. lin. 1.

—— *cana juncta pruina.*

Lego *vincta p.* Sic postea,

Et pavidus quadrupes undarum *vincula* rupit.

Et alibi,

—— *vinctâ* fluctus stupuere ruinâ.

Et —— nimbos fregere ligatos.

Pag. 158. lin. 9.

Tergo tanta lues ——

Rectè qui primi *ergo tanta lues* reposuerunt, pro supradicto *tergo*. Dii de re desperantes imagines suas è templis auferunt, & aufugiunt. Lampridius in Commodo, *Vestigia Deorum in foro visa sunt exeuntia*. Ultimæ tamen Petronii editiones emendationem hanc gustare non potuerunt. Olim sic locum integrum legebam.

Ergo tanta lues Divum quoque numina fudit?

Conſenſitque fugæ cœli timor?

Nec fortaſſe malè.

Pag. 162. lin. 30. *Hærenarius aliquas accendit, aut perfuſus pulvere multo.* Bourdelotii Editio, *Arenaus* aliquas accendit aut perfuſus pulvere multo.

Pag. 163. lin. 14. *niſi in Equeſtribus ſedeo.*

Rectè convenit hoc Epigramma, quod hîc inſerui:

Inveniat quod quiſque velit: non omnibus unum eſt
Quod placet hic ſpinas colligit ille roſas.

Pag. 165. lin. 11. *Inter auras canere Sirenum concordiam.* Callimachus Hymno Apollinis, &c. Non fraudabo tamen lectorem lectione Mſſ. quæ habet, *intra aures.*

Pag. 166. lin. 12. *Nunquid ſpiritus jejunio macer?* Bourdelotius edidit, *jejunio ater?* Vide ipſum ad Petronium de graveolentia oris.

Pag. 170. lin. 27. *Vides quod alis leporem excitavi!* Aliis leporem excitavi. Proverbium rectè explicat Plautus Pœnulo Act. 3. Sc. 3.

Nos tibi palumbum ad aream uſque adduximus,
Nunc tu illum melius eſt capere, ſi captum eſſe vis.

Pag. 172. lin. 1. *Me jubet catorogare.* Saccato rigare. Aliud meum flagitium, emendatio in textum recepta, quæ tamen tutorem habet Lucretium multis in locis. *Saccato i.* urina.

Pag. 173. lin. 21. *Ad cognitionem admittere.* Rectum putamus. Alii, *cogitationem.* Sed partes illæ pudendæ vocantur, quòd ea pudeat ſeverioris notæ homines ad cognitionem, ſive ad oculos admittere, &c.

Pag. 174. lin. 13.

Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Juſſit ut hanc vitam dixit habere telos:

Non aliter quoque Editio Bourdelotiana, & in Comment. Fruſtra diu pugnatum de veritate hujus lectionis, quam veram cum Scaligero præſtamus. Præcipuè Epicuri Philoſophiæ capita, ἀλήθεια, τέλος Rectè igitur *in arte veri* & *habere telos*, ut patet apud Senecam, & Athenæum lib. 2.

Ibid. lin. 21. *Vidua pudicaque nocte.* Mſſ. *vacua.* quod idem eſt; Horat. Od. 41. lib. 1.

Qui ſemper *vacuam* ſemper amabilem, Tacitus omnibus ferè paginis. Pro *pudica* idem Mſſ. *pura.* Tibull. lib. 1.

——— *puro* ſuccubuiſſe toro.

Ibid. lin. ult. —— *Lydus adorat*
Septifluus, Templũque tuis imponit Hypæpis.

Legimus *Vestifluus*, & ratio in proclivi. De *Hypæpis*. Ovidius transformat lib. 5.

Orta domo parvâ, parvis habitabat
HYPÆPIS.

Pag. 176. lin. 22. *O, inquit, ô Enothea*.. O *Enothea* legendum esse ratio postulat, Magi, ut hæc anus, dicuntur ἔνθεοι, Lycophron Alexandra, & ibi Isaac Zetzes Ausonius. Epigr. 106.

—— velut *enthea* dæmone Mænas.

Neque tamen *Oenothea* malè, propter ebrietatem, cujus hîc mentio crebra.. Idem Bourdelotius infra etiam *Enthea* scripsit aliquot locis.

Pag. 186. lin. 13. *Ingerebat orbis senibus*. Curavi ut hæc legerentur διαλύτως, *orbis senibus*. Inter tres eorum notas quos hæredipetæ captabant, hæ duæ. Tres erant, locuples, orbus, senex. ut patet apud Ciceronem Paradox. penult. Scimus in Horatio hæc junctim legi, sed nec malè, si disjunctim.

Ibid. lin. pen. *Ad Pigiciaca sacra*. *Pigesiaca* scribi voluimus.

Pag. 188. lin. 15. *Vnde plani, unde levatores*. *Levatores* rectè: & sic legendum docuit Savaro.

FINIS.

GLOSSARIUM

PETRONIANUM.

* *ASTERICVS, Inexplicabilia: PRIOR NVMERVS Paginam, POSTERIOR Lineam monſtrat.*

A

ABſentivus *Abſens diutius.* 28. ult.

Acaciæ rivi. *Vnguentum ex Acacia, quo facies pingitur ut ſpecioſior videatur.* 20. 6.

Acus comatoria. *Aut crinalis, calamiſtratorium, ad crines diſtinguendos, in mundo muliebri.* 17. 24.

Ad tubicines mittere. *Cogitare de exequiis, proverbialis locutio de morituro, & jam animam agente.* 168. 11.

Ad interdictum venire. *Venire in jus ad Prætorem. ordinario agere.* 11. 1.

Advocati nocturni. *Pro furibus graſſantur.* 12. 13.

Ad conſtitutum venire. *Condicto & aſſignato die ad jus experiundum venire.* 12. 28.

Adventitia frequentia. *Allusio ad cœnæ præbitionem, quæ adventoria dicitur.* 102. ult.

Advocationem commodare. *favere, à partibus alicujus stare.* 110. 10.

Ædicula. *Sacellum, lararium; quæ in magnatum domibus fuerunt.* 25. 21.

Afræ volucres. *Ex Africa petitæ in luxum Romanorum.* 106. 6.

Ales Phasiacis petita Colchis. *Avis à Phasi Fluvio primùm in Græciam ab Argonautis delata.* 106. 5.

Alis leporem excitare. *Mentulam erigere.* 170. 27.

A matre. *Statim à nativitate.* 91. 3.

Anfractus. *Obliqui viarum flexus, in se recurrentes.* 7. 4.

Amici. *Convivæ convictores.* 29. 17.

Amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ. *Lagenæ picabantur, vel gypso illinebantur, ne anima vini reconditi expiraret.* 30. 21.

Antescholanus. *Proscholus sive subdoctor.* 90. 12.

Anni ad patiendum gestientes. *Puellæ ἐν τῇ ἀκμῇ dicuntur Catullæ & catullire.* 97. 26.

Apodixis defunctoria. *Libellus, quo ostendit quispiam se defunctum esse. hìc, remissio senilis ætatis.* 173. 10.

Aqua nivata. *Ex nive cocta: decoquebat veterum luxuria nives, easque percola-*

Bene esse. *χοιχgõs, vitam omnem voluptuariam complectitur.* 31. 13.

Bubale frustum. *Frustum bovis assatum.* 31. 22.

Bulla distinguens. *Bullati clavi, quorum in tabulis affixis (ut perpetuis calendariis ut vocant hodie) ad notandos dies, erat usus.* 26. 16.

C

Cadere. *Omnia quæ ab ordine & constantia vacillant aut degenerant, cadere dicuntur.* 2. 17.

Caduceus. *Virga & insigne Mercurii.* 25. 9.

Caduceator. *Legatus qui pacem petit.* 129. 10.

Capillati pueri. *Impuberes & ad generationem inepti: comam enim alebant in signum impubertatis.* 23. 8.

Carcedonii ignes lapidei. *Flagrantia & igniti fulgores gemmarum.* 56. 14.

Carpus. *Idem ferè quod scissor, qui allata carpit, i. e. lacerat, aliàs archimagirus, item chironomana.* 33. 2.

Carnarium. *Locus ubi caro salsa suspenditur.* 109. 23.

Cartæ alligatæ. *Schedulæ alligatæ sarcinis erant, quæ indicarent cujus essent.* 119. 10.

Catorogare. *Catomis cædere.* 172. 1.

Cella. *Locus liber, in quo venerei homines ac voluptuarii nequam faciebant; eas autem à lenonibus conduci mos erat.* 7. 7.

Cento. *Velum, quo cubiculorum januæ tegebantur, ne per rimas inſpicere poſſent curioſi, quid intus ageretur.* 6. 14. 12. 6.

Chiramaxium. *Genus modici plauſtri, unius hominis capax, ſolitum à ſervis trahi.* 24. 12.

Cicer arietinum. *Species leguminis, aliud à vulgari ſativo.* 31. 21.

Cingulum cerasinum. *Ruſſeum, à colore ejus fructus.* 24. 27.

Cinædus. *Qui patitur muliebria; Item, ſaltatores & pantomomi ſic dicti apud Veteres.* 19. 22.

Cinnamum. *Frutex, præſtantiſſimum exſudans odoramentum.* 106. 13.

Clibanus argenteus. *Furnus mobilis, placentis & panicoquendis aptus, aliàs ex teſta, ferro, vel ære fiebat.* 32. 3.

Cœnatoria. *Veſtis cœnatoria, cum qua diſcumbere in conviviis ſolebant, aliàs toga triclinaris.* 18. 8.

Cœpit præcedere. *6. 12.* Cœpit fugere. *lin.* 22. Cœpit rogare ſtuprum. 7. 6. *Genus loquendi frequens Petronio.*

Compendiaria. *Conciſa brevitas. gr.* ϛωτμα. 3. 11.

Componere gradum ad præliandum. *Statum præliantis componere: pugnaturi ita*

se constituebant ne adversarius statum perturbare posset. 89. 3.

Conchilia. *Ostreæ nobilissimæ ex Lucrino lacu Campaniæ.* 149. 1.

Conciones. *Multitudo populi assistentis.* 12. 2. 21.

Concrepare digitos. *Crepitu digitorum vel solo nutu poscebant domini vilius aliquid imperantes.* 23. 27.

Contineri declamationibus. *Detineri, hoc est, exerceri.* 2. 18.

Contubernalis. *Frater vel amasius.* 20. 16.

Conturbare. *Decoquere: Servi, qui dominorum pecunias intervertunt, conturbare dicuntur.* 91. 5.

Corymbium. *Redimiculum muliebrium comarum.* 131. lin. ult.

Crypta *Neapolitana scilicet, ubi sacellum Priapi & sacra abdita.* 13. 24.

Crepido semitæ. *Crepidines viarum, ipsæ eminentiæ dextra sinistraque, vel ubi viæ conveniunt.* 7. 13.

Creta in malarum rugis. *Mulieres terra chia se incrustabat.* 20. 7.

Crinem fovere Deo alicui. *Tangit morem antiquum crines consecrandi vel Diis vel etiam fluminibus.* 127. 17.

Crotalistria. *A crotalis, quorum strepitum imitatur.* 56. 4.

Cruciarius. *Qui in cruce, aut qui ea dignus.* 136. 2.

dimensa illis assignabantur, prout se fidos præstabant. 21. 3.

Diæta. *Cubile, in quo navicularius quiescit: item, habitatio in ostiis.* 140. 8.

Dicarchidos magnæ arva. *Campaniæ arva, ubi Puteoli, qui olim Dicæarchia, quòd justè regerentur, dicti.* 151. 18.

Dicta in aliquem jaculari. *Joculariter aliquem perstringere.* 131. 8.

Daphnona.* (*Si daphnon*) *loca sunt lauro consita.* 163. 23.

Dipondium. *Pendet drachmas duas.* 11. 17.

Discoloria vestis. *Quanti soliti, qui quid publica autoritate facerent.* 111. 3.

Diversitor. *Qui in Caupona diversatur. diversoriarius.* 108. 27.

Dividere cum fratre. *Obscœnæ nequitiæ locutio. cadere hillas.* 9. 20.

Divina. *Fatidica, vates, divinatrix.* 6. 12.

E

Elegidarion. *Encómium.* 131. 11.

Embasicœta, *qui vel quæ frequenter dat basia: Item Incubus, quæ inscendit grabatum.* 20. 11.

Embolum æneum. 26. 3.

Enyoferalis. *Erinnys vel Bellona.* 150. 11.

Epidauria mœnia. *Epidaurus urbs in Achaja, Æsculapii delubro percelebris.* 160. lin. ult.

bantur nubentes ad designandum pudoris læsionem, operientes vultum cum ea. 22. 1.

Flavicomum corymbion. *Corymbion flavum, capillitium enim flavum commendat.* 132. 15.

Fornix. πορνεῖα, *lustrales cellæ acuatæ, ubi publicæ meretrices prosternebantur.* 6. 20.

Frater. *Hic pro amasio, sive pueri, sive puellæ.* 7. 16.

Frigidior hyeme Gallica. *Gallia, quæ ad septentrionem, horridiorem experitur hyemem.* 16. 14.

Fuliginea nubes. *Color ater.* 127. 27.

Fulminatus. *Territus, consternatus.* 89. 23.

Fundi mendaces. *Infructuosi & spem agricolarum fallentes.* 145. 5.

G

Gallus spado. *Capus.* 56. 2.

Garum piperatum. *Condiri solitum aromatis aliisque pro ratione cibi.* 32. 17.

Gastrorum fragmenta. *Gaster vas fictile, rotundum ventricosum: Item: terræ petrosæ calculi.* 87. 14.

Gausapila mirtea. *Straguli genus, coloris inter flavum & nigrum.* 17. lin. antep.

Gladiator obscœnus. *Fugitivus in arenam damnatus: & cum fœda aliqua muliere*

quandam à se religionem incutit. 18. 5.

Hostiarius prasinatus. *Servus qui ad limen observabat, janitor erat in catenis: Prasinatus autem dictus à colore vestimenti nimirum viridi.* 24. 26.

Humanè loqui. *Poëticè & humanè loqui quasi pugnantia hîc collocantur.* 102. 22.

Hydraules. *Qui organo isto musico, in decursu aquæ sonum reddente, canit.* 32. 25.

Hypæpa. *Oppidum Lydiæ: alibi Hypæpus hymnus Dianæ sacer.* 175. 1.

Hypogæum. *Cellæ pro condendis mortuis extra urbem, aliàs Conditorium.* 133. 7.

I

Jasdon sylvester. 171. 6.

Jatralipta. *Medicus unguentarius, qui unguentis & perfrictionibus curat.* 24. 6.

Imber lacrymarum. *Similitudo à fluminibus, vel à tempestate, cùm imber sequitur tonitrua.* 14. 6.

Imperator provinciæ. *Præses vel Proconsul.* 133. 22.

Impotentium cœnæ. *Valde potentium, vel ad invidiam potentium.* 4. 28.

Infulis sacri. *i. e. Sacerdotes,* 101. 11.

Indicium & fides in lance argentea. *Præmium quod indicibus datur; indicina* εὑρετρον. 111. 4.

Incretare faciem. *Creta illinere, candi-*

ſi in pectus uſque, 28. 17.

Lecticarius. *Qui ſupellectilem curat.* 110. 13.

Licium. *In veneficiis adhibebantur licia diſcoloria, non ſolùm illigandi incantandique, ſed & expiandi & ſolvendi gratia: unde & ligaturæ dicuntur.* 170. 15.

Licurgo crudelior. * 93. 24.

Locus. *Pars inhoneſtior & turpis, in qua maſculam averſamque venerem ſubagitabant.* 88. 23.

Loquacitas ventoſa & enormis. *Turgida & vana Aſiaticorum dicendi licentia.* 2. *lin. pen.*

Lucerna bilychnis. *Lucerna penſilis, duplici lychno.* 26. 8.

Ludere cum fratre. *Congredi, honeſta turpiculæ rei periphraſis.* 9. 13.

Lyrici novem. *Auſonius tres tantùm vult.* 2. 22.

M

Malè dormire. *Simulanter dormire.* 96. 12.

Malo cavere. *Ponenda arma, & malo cavendum fuit.* 91. *lin. ult.*

Manubiæ. *Ornamenta Regum.* 88. 25.

Margarita. *Circa margaritas ardebat inſana mulierum ſuperbia.* 56. 8.

Marſyæ. *Perſonæ ſeu ſigilla, ex quorum roſtris aut alia corporis parte aqua ſalire*

Mullus. *Piscis maximæ nobilitatis & gratiæ, magnique pretii,* 106. 12.

Muliebris patientiæ legem accipere. *Viripotentem esse: scire fœmineam passionem.* 21. 17.

Muliebris patientiæ scortum. *Qui patitur, quæ mulieres pati consueverant, præposteris libidinum ardoribus.* 7. 29.

Mulieres Lunam deducentes. *Manicæ, veneficæ.* 168. 23.

Mulsum. *Et in antecœna mulsum, & iterum etiam in secunda apponebatur.* 30. 2.

Murmure votum facere. *Superstitio Veterum, qua semper taciti aut murmurantes vota faciebant.* 95. 23.

N

Nebula linea. *Tenue amiculum lineum, quod nec panni celebritatem, nec telæ densitatem, sed nebulæ tenuitatem æmulatur pellucidam.* 56. 19.

Nemo cœlum putat. *Id est, fata & providentiam divinam, quæ cœlitus destinantur.* 92. 12.

Nequitiæ. *Hoc loco, luxuria in victu, aliàs in Venere.* 56. 7.

Notorem dare. *Qui notitiam rei aut fortunæ, velut oculatus testis, profitetur.* 105. 24.

Nummos modio metiri. *Modio dimensa*

Pantomimi. *Symphoniaci pueri & cantatores, qui delicatiorum conviviis intererant.* 27. 27.

Papavere & ſeſamo ſparſa dicta. *Fucata rabularum facundia, qua quaſi melle & ſeſamo auditorum obliniunt ora, ut nuda verborum oratio gratior fiat.* 2. 10.

Paralyſis. *Quæ à luſtæ palæſtra Veneris nervos occupare ſolet.* 168. 8.

Parapſis. *Argentea fuerunt iſta vaſa.* 30. 5.

Parieti applicitus. *Id eſt; affixus.* 103. 7.

Parium marmor. *Candidiſſimum.* 164. 9.

Paronychia. *Reduviæ unguium. Item Pedum vel aurium ſordes.* 27. 19.

Peculium. *Inter Romanæ nequitiæ vocabula uſurpatum, pro ea parte, qua viri ſumus.* 7. 6.

Pelagiæ volucres. *Marinæ.* 130 lin. pen.

Peregrini amoris conceſſio. *Amaſius qui alienum ſecutus eſt, eiq; ſe conceſſit.* 103. lin. penult.

Pervigilium. *Sacrum nocturnum, quo vigiliæ indicuntur, quibus Deos colebant.* 18. 8.

Pharmacus. *Veneficus, ſacrilegus, ſceleſtus.* 127. 17.

Phaſidos unda. *Colchidis flumen ingens & omnium Ponti amnium clariſſimus.* 149. 2.

Phrygius cultus. *Trojanus habitus.* 101. 12.

Pica varia. *Genus picæ longa inſignis can-*

bant. 3. 15.

Præcipitem abire. *Nimis festinanter.* 13. 5.

Prædator corporis. *Attentator pudicitiæ.* 95. 16.

Prætorium. *Sacrarium.* 26. lin. ult.

Prius more. *Prisco more.* 4. 25.

Promittere. *Vovere, addicere, in votis promittere.* 99. 18.

Promulsis libidinis. *Gladiatoriæ Veneris antecœnæ, seu anteludium ad robustam libidinem concitandam.*

Promulsidaro. *Cibus qui in gustum datur.* 28. 1.

Pueri Alexandrini. *Ægyptii, deliciæ Veterum: delecti huic muneri ætate grandiores.* 27. 17.

Pyxis. *Est in mundo muliebri.* 131. 1.

Q

Quadrata litera. *Litera Capitalis.* 25. 4.

Quasillariæ. *Genus ancillularum omnium spurcissimum ac despicacissimum.* 172. 3.

R

Ramum oleæ protendere. *Habitus supplicum & pacem rogantium.* 129. 13.

Religiones nocturnæ. *Sacrum nocturnum & penetrale in sacello Priapi, à sequiori sexu, ex ritu & disciplina perpetratum.* 15. 30

quod in circuitu torqueantur restis in mo-dum, unde nos tortam *dicimus.* 31. 27.

Secutuleia mulier. *Quæ virum appetit & sectatur.* 91. 7.

Semicinctium. *Succinctorium, quod medium hominem cingat & vestiat; Zona minùs lata.* 107. lin. antep.

Sermo publici saporis. *Venusta sermonis gratia ad publicam jucunditatem faciens.* 3. 15.

Servitia. *Servi.* 126. 6.

Sidere afflare pestilenti. *Metaphora ducta à morbo plantarum sideratio dicto, quò humore per nimium æstum absumpto, ubi totæ vel aliqua sui parte subitò exarescunt.* 3. 2.

Sicilicum. *Vnciæ pondus habet scrupula decem.* 11. 17.

Signum symphonia datur. *Symphoniæ signo dato inferebatur & auferebatur cœna.* 30. 2.

Sirenum cantus. *Suavissima illa modulatio, qua omnes pene audientium sensus subripiebantur.* 165. 12.

Socratico plenus grege. *Fonte Socratico.* 5. 7.

Soleatus. *Veteres cùm à balneo ad cœnam pergerent, soleas aptabant.* 23. 12.

Solum libidinis vertere. *Solum, locus qui aratur: hoc loco arvum & sulcus dicuntur muliebria, ut è contra vomer viri-

Strigilis. *His usi sunt Veteres ad fricandum in balneis.* 103. 7.

Strangulari vestem inter prædones. *Abdi & recondi vestem.* 12. 27.

Structor. *Qui fercula puerorum manibus allata commode disponit.* 27. 11.

Suasoria. *Duo genera materiarum apud Rhetores tractantur, Suasoria, quæ pueris: & Controversiæ, quæ robustioribus assignantur.* 1. lin. antep.

Sumina. *Venter suillus infra umbilicum cum uberibus, in deliciis olim Romæ habitus.* 32. 13.

Supercilia de pyxide prolata. *Callible-phara, quibus supercilia ad ornatum denigrant mulieres.* 132. 1.

Stylus atrox. *Acumen styli. Stylo scribebant in cerata tabula, cujus styli pars, qua scribebant acumen dicebatur: altera pars erat obtusa, qua, quæ non placebant, delebant, & complanabant ceram.* 4. 13.

Synœcium. *Conjuncta in eadem domo conclavia.* 106. 19.

T

Tenia. *Delicatiores prehensis laciniis ducuntur.* 25. 10.

Tessera. *Ad tesseram venire, id est, ad eam ætatem venire, qua tesseris ludere mos sinebat: puerorum enim & adoles-*

Tyria veſtimenta. *Pro veſte triclinari molliore & coloris exquiſiti. In dibapha enim purpura & coccinis aut hiacinthinis diſcumbebant.* 4.

V.

Vaſculum. *Pars ea, quæ inter res ſerias nominari non debet. Medicis.* 20. lin. ult.

Vecturam ſolvere. *Vecturam ſolvebant ii, qui ratibus tranſibant.* 116. 20.

Venter injuriam facit. *Murmure vel emiſſione ſtridoris.* 119. 2.

Venalitium titulis pictum. *Tituli non ſolùm in venalitio pingi ſoliti, ſed etiam bello aptari vendundi mancipii.* 25. 7.

Ventus textilis. *Veſtis tenuiſſima, æquans propemodum ſubtilitate ventum.* 56. 17.

Vernula urbanitas. *Salibus lepidis condita: ſeu vernarum jocularia dicacitas.* 20. 14.

Veſtimenta cubitoria. *Cœnatoria veſtis. Romanis enim alia veſtis domeſtica, alia forenſis; inter domeſticas cœnatoria, quam non fas videre publicam lucem.* 27. 4.

Veſticontubernium. *Qui ſub eadem veſte cubant.* 9. 16.

Vexata ſolò veſtis. *Pulvere reſperſa, rugiſque deformata.* 166. 27.

Viator. *Idem hic quod lictor.* 111 18.

Virum quærit. *Qui omnis corporis habitu*

FINIS.

PRIAPEIA,

SIVE

DIVERSORUM

POËTARUM

IN

PRIAPUM LUSUS.

Cui

Accesſêre Veterum Poëtarum Errones venerei, Pervigilium Veneris, Floridi de Qualitate vitæ, Epigrammata Valerij Æditui, Auſonii Cento Nuptialis, Cupido Cruci-affixus, Ejuſdem Roſæ, Priapiſmus, cùm Ecloga Tobiæ Gutberleth.

DIVERSORUM POËTARUM IN PRIAPUM LUSUS.

Ad Lectorem.

Carminis incompti lusus lecture procaces,
Conveniens Latio pone supercilium.
Non Soror hoc habitat Phœbi, non Vesta sacello,
Nec quæ de patrio vertice nata Dea est.
Sed ruber hortorum custos membrosior equo.
Qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti prætende tegendæ,
Aut quibus hanc oculis aspicis, ista lege.

CARMEN I.

AD PRIAPUM.

LVdens hæc ego teste te, Priape,
Horto carmina digna, non libello,
Scripsi non nimium laboriosè.
Nec Musas tamen, ut solent Poëtæ,
Ad non virgineum locum vocavi.
Nam sensus mihi corque defuisset,
Castas Pieridum chorum sorores
Auso ducere mentulam ad Priapi.
Ergo quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam rogamus.

II. PRIAPUS.

OBscurè poteram tibi dicere, da mihi. quod tu
Des licet assiduè, nil tamen inde perit.
Da mihi quod cupies frustra dare forsitan olim,
Cum tenet obsessas invida barba genas,
Quodque Jovi dederat, qui raptus ab alite sacra,
Miscet amatori pocula grata suo:
Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius vulnus inepta loci.
Simplicius multò est, da pædicare Latinè
Dicere, quid faciam? crassa Minerva mea est.

III. AD PRIAPUM.

OBſcœnis rigido Deo tabellas
Ducens ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage, rogatque tentes,
Si pictas opus edat ad figuras.

IV. DE PRIAPO.

QVam puero legem fertur dixiſſe Priapus,
Verſibus hic infra ſcripta duobus erit:
Quod meus hortus habet, ſumas impunè licebit;
Si dederis nobis quod tuus hortus habet.

V. PRIAPUS.

QVod ſim ligneus, ut vides, Priapus;
Et falx lignea, ligneuſque penis;
Prendam te tamen, & tenebo prenſam:
Totamque hanc ſine fraude, quantacunque eſt,
Tormento citharaque tenſiorem,
Ad coſtam tibi ſeptimam recondam.

VI. PRIAPUS.

CVm loquor, una mihi peccatur litera, nam præ,
Pæ, dico ſemper, blæſaque lingua mea eſt.

VII. PRIAPUS.

MAtronæ procul hinc abite castæ:
Turpe est vos legere impudica verba.
Non assis faciunt: euntque recta:
Nimirum sapiunt, videntque magnam
Matronæ quoque mentulam libenter.

VIII. PRIAPUS.

CVr obscœna mihi pars sit sine veste, requiris.
Quæro, tegat nullus cur sua signa Deus?
Fulmen habet mundi dominus, tenet illud apertè:
Nec datur æquoreo fuscina tecta Deo.
Nec Mavors illum per quem valet, occulit ensem:
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clamve solet pharetram ferre Diana suã?
Num tegit Alcides nodosæ robora clavæ?
Sub tunica virgam num Deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso,
Quis te celata cum face vidit Amor?
Nec mihi sit crimen, quod mentula semper aperta est:
Hoc mihi si telum desit, inermis ero.

IX.

IX. PRIAPUS.

INſulſiſſima quid puella rides?
Non me Praxiteles, Scopaſve fecit:
Nec ſum Phidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolavit:
Et dixit mihi, tu Priapus eſto.
Spectas me tamen & ſubinde rides.
Nimirum tibi ſalſa res videtur,
Adſtans inguinibus columna noſtris.

X. PRIAPUS.

NE prenſere cave, prenſo nec fuſte nocebo:
Sæva nec incurva vulnera falce dabo:
Trajectus conto ſic extendêre pedali:
Vt culum rugas non habuiſſe putes.

XI. PRIAPUS.

QVædam ſerior Hectoris parente,
Cumææ ſoror, ut puto, Sibyllæ,
Æqualis tibi, quam domum revertens
Theſeus reperit in rogo jacentem,
Infirmo ſolet huc gradu venire:
Rugoſaſque manus ad aſtra tollens,
Ne deſit ſibi mentulam rogare.
Heſterna quoque luce, dum precatur,
Dentem de tribus exſcreavit unum.
Tolle, inquam, procul, ac jube latere
Sciſſa ſub tunica, ſtolâque rufa,

Vt ſemper ſolet, & timere lucem,
Qui tanto patet indecens hiatu,
Barbato macer eminente naſo,
Vt credas Epicuron oſcitari.

XII. PRIAPUS.

PRædicere puer, moneo: futuere puella:
Barbatum furem tertia pœna manet.

XIII. PRIAPUS.

HVc huc, quiſquis es, in Dei ſalacis
Diverti grave ne puta ſacellum.
Et ſi nocte fuit puella tecum,
Hac re quod metuas adire, non eſt,
Iſtuc Cœlitibus datur ſeveris,
Nos vappæ ſumus, & puſilla culti
Ruris numina: nos pudore pulſo
Stamus ſub Iove coleis apertis.
Ergo quilibet huc licebit intret,
Nigra fornicis oblitus favilla.

XIV. PRIAPUS.

COmmiſſo mihi non ſatis modeſtas
Quicunque attulerit manus agello:
Is me ſentiet eſſe non ſpadonem.
Hic inter frutices loco remoto
Dicat forſitan hæc ſibi ipſe: nemo
Præciſum ſciet eſſe me. ſed errat:
Magnis teſtibus iſta res agetur.

XV. AD PRIAPUM.

QValibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis:
Qualibus Heſperidum nobilis hortus erat:
Qualia credibile eſt ſpatiantem rure paterno,
Nauſicaam pleno ſæpe tuliſſe ſinu:
Quale fuit malum, quod litera pinxit AcontI,
Qua lecta, cupido pacta puella viro eſt:
Taliacumque puer dominus florentis agelli
Impoſuit menſæ nude Priape tuæ.

XVI. PRIAPUS.

QVid mecum tibi circitor moleſte?
Ad me quid prohibes venire furem?
Accedat ſine: laxior redibit.

XVII. PRIAPUS.

COmmoditas hæc eſt in noſtro maxima pene,
Laxa quod eſſe mihi femina nulla poteſt.

XVIII. AD PRIAPUM.

ECquando Telethuſa circulatrix
Quæ clunem tunica tegente nulla
Extis aptius, altiuſque motat,
Criſſabit tibi fluctuante lumbo?

Sic ut non modò te Priape posset,
Privignum quoque sed movere Phædra.

XIX. PRIAPUS.

FVlmina sub Iove sunt: Neptuni fuscina telum:
Ense potens Mars est: hasta, Minerva, tua est.
Sutilibus Liber committit prælia thyrsis:
Fertur Apollinea missa sagitta manu.
Herculis armata est invicta dextera clava:
At me terribilem mentula tenta facit.

XX. AD PRIAPUM.

COpia me perdit: tu suffragare rogatus,
Indicio nec me prode, Priape, tuo.
Hæc quæcunque tibi posui vernacula poma,
De sacra nulli dixeris esse via.

XXI. PRIAPUS.

FEmina si furtum facit mihi, virque puerque:
Hæc cunnum, caput hic præbeat, ille nates.

XXII. PRIAPUS.

QVicunque hic violam, rosamve carpet,
Furtivumve olus, aut inempta poma:

Defectus pueroque feminaque,
Hac tentigine, quam videtis in me,
Rumpatur precor usque, mentulaque
Nequidquam sibi pulset umbilicum.

XXIII. PRIAPUS.

HIc me custodem fecundi villicus horti
Mandati curam jussit habere loci.
Fur habeas pœnam, licet indignere, feramque
Propter olus, dicas, hoc ego, propter olus?

XXIV. PRIAPUS.

HOc sceptrum, quod ab arbore ut recisum est,
Nulla jam poterit virere fronde:
Sceptrum, quod pathicæ petunt puellæ:
Quod quidam cupiant tenere Reges:
Cui dant oscula nobiles cinædi:
Intro viscera furis ibit usque
Ad pubem, capulumque coleorum.

XXV. PRIAPUS.

POrro (nam quis erit modus Quirites?)
Aut præcidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores:
Aut rumpar, nec habebitis Priapum.
Ipsi cernitis exfututus ut sim,

Confectusque, macerque palidusque
Qui quondam ruber, & valens solebam.
Fures cædere quamlibet valentes.
Defecit latus, & periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

XXVI. AD PRIAPUM.

DElicia populi magno notissima circo
Quinctia vibratas docta movere nates:
Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
Ponit, & adducta tympana pulsa manu
Pro quibus, ut semper placeat spectantibus orat,
Tentaque ad exemplum sit sua turba Dei.

XXVII. PRIAPUS.

TV, qui non bene cogitas, & ægrè
Carpendo tibi temperas ab horto:
Pædicabere fascino pedali.
Quod si tam gravis, & molesta pœna
Non profecerit: altiora tangam.

XXVIII. AD PRIAPUM.

OBscænis peream, Priape, si non
Vti me pudet, improbisque verbis:
Sed cum tu posito deus pudore
Ostendas mihi coleos patenteis,

Cum cunno mihi mentula est vocanda.

XXIX. AD PRIAPUM.

FAlce minax, & parte tui majore Priape:
Ad fontem quæso, dic mihi qua sit iter.

XXX. PRIAPUS.

VAde per has viteis, quarum si carpseris uvas,
Quas aliter sumas hospes habebis aquas.

XXXI. PRIAPUS.

DOnec proterva nil mihi manu carpes,
Licebit ipsa sis pudicior Vesta.
Sin, hæc mei te ventris arma laxabunt,
Exire ut ipsa de tuo queas culo.

XXXII. PRIAPUS.

UVis aridior puella passis,
Buxo pallidior, novaque cera,
Collatas sibi quæ, suisque membris
Formicas facit altiles videri:
Cujus viscera non aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex.
Quæ succo caret, atque petra pumex,
Nemo viderit hanc ut exspuentem:
Quam pro sanguine pulverem, scobemque
In venis medici putant habere:

Ad me nocte ſolet venire: & affert
Pallorem, maciemque larvialem.
Ductor ferreus inſularis, æque
Laternæ videor fricare cornu.

XXXIII. PRIAPUS.

NAjadas antiqui, Dryadaſque habuere Priapi:
Et, quo tenta Dei vena ſubiret, erat.
Nunc adeo nihil eſt, adeo mea plena libido;
Vt Nymphas omnes interiiſſe putem.
Turpe quidem factu. ſed ne tentigine rumpar,
Falce manu poſita fiet amica manus.

XXXIV. AD PRIAPUM.

CVm ſacrum fieret Deo ſalaci,
Conducta eſt pretio puella parvo.
Communis ſatis omnibus futura;
Quæ quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat ſalignas.

XXXV. PRIAPUS.

PÆdicabere fur ſemel: ſed idem
Si prenſus fueris bis, irrumabo.
Quod ſi tertia furta molieris:
Vt pœnam patiare & hanc, & illam,
Pædicaberis, irrumaberiſque.

XXXVI. PRIAPUS.

NOtas habemus quiſque corporis formas.
Phœbus comoſus: Hercules lacertoſus:
Trahitque Bacchus virginis tener formam:
Minerva flavo lumine eſt: Venus pæto:
Frontem cruentos Arcadas vides Faunos:
Habet decentes nuncius deûm plantas:
Tutela Lemni diſpares movet greſſus,
Intonſa ſemper Æſculapio barba eſt:
Nemo eſt feroci pectoroſior Marte:
Quod ſi quis inter hæc locus mihi reſtat,
Deus Priapo mentulatior non eſt.

XXXVII. VOTI SOLUTIO.

CUr pictum memori ſit in tabella
Membrum quæritis, unde procreamur.
Cum penis mihi forte læſus eſſet,
Chirurgique manum miſer timerem:
Diis me legitimis, nimiſque magnis,
Ut Phœbo, puta, filioque Phœbi
Curatum dare mentulam verebar.
Huic dixi, fer opem, Priape, parti,
Cujus tu, pater, ipſe par videris,
Qua ſalva ſine ſectione facta,
Ponetur tibi picta, quam levaris,
Compar, conſimiliſque, concolorque.
Promiſit for · mentulamque movit
Pro nutu deus, & rogata fecit.

XXXVIII. PRIAPUS.

SImpliciter tibi me, quodcunque est dicere oportet:
Natura est quoniam semper aperta mihi.
Pædicare volo: tu vis decerpere poma.
Quod peto, si dederis: quod petis, accipies.

XXXIX. PRIAPUS.

FOrma Mercurius potest placere:
Forma conspiciendus est Apollo,
Formosus quoque pingitur Lyæus:
Formosissimus omnium est Cupido.
Me pulcra fateor carere forma:
Verum mentula luculenta nostra est:
Hanc mavult sibi, quam Deos priores,
Si qua est non fatui puella cunni.

XL. AD PRIAPUM.

NOta Suburanas inter Telethusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem tibi sancte corona:
Hunc pathicæ summi Numinis instar habent.

XLI. PRIAPUS.

QVisquis venerit huc, Poëta fiat,
Et versus mihi dedicet jocosos.
Qui non fecerit: inter eruditos
Ficosissimus ambulet Poëtas.

XLII. AD PRIAPUM.

LÆtus Aristagoras natis bene villicus uvis
De cera facta dat tibi poma Deus,
At tu sacrati contentus imagine pomi,
Fac veros fructus ille, Priape, ferat.

XLIII. PRIAPUS.

NOlite omnia, quæ loquor, putare,
Per lusum mihi, per jocumque dici.
Deprensos ego ter, quaterque fures
Omnes ne dubitetis, irrumabo.

XLIV. PRIAPUS.

VElle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam:
Oscula dat medio si qua puella mihi?
Augure non opus est: in me, mihi credite, dixit,
Vtetur veris usibus hasta rudis.

XLV. PRIAPUS.

CVm quendam rigidus Deus videret
Ferventi caput ustulare ferro.,
Vt Mauræ similis foret puellæ:
Heus, inquit, tibi dicimus cinæde,
Vras te licet usque, torqueasque:
Num tandem prior est puella, quæso,
Quam sunt, mentula quos habet, capilli?

XLVI. PRIAPUS.

O Non candidior puella Mauro,
O sed mollior omnibus cinædis,
Pygmæo brevior gruem timenti,
Vrsis asperior, pilosiorque
Medis laxior, Indicisque braccis,
Mandes hîc licet, ut lubenter ires.
Nam quamvis videar satis paratus,
Erucarum opus est decem maniplis,
Fossas inguinis ut teram, dolemque
Cunni vermiculos scaturientes.

XLVII. PRIAPUS.

QVicumque vestrûm qui venitis ad cœnam.
Libare nullos sustinet mihi versus:
Illius uxor: aut amica rivalem
Lasciviendo languidum, precor, reddat,
Et ipse longa nocte dormiat solus,
Libidinosis incitatus erucis.

XLVIII. PRIAPUS.

QVod partem madidam mei videtis,
Per quam ſignificor Priapus eſſe:
Non ros eſt, mihi crede, nec pruina:
Sed quod ſponte ſua ſolet remitti,
Cum mens eſt pathicæ memor puellæ.

XLIX. PRIAPUS.

TV quicunque vides circa tectoria noſtra
Non nimium caſti carmina plena joci:
Verſibus obſcænis offendi deſine: non eſt
Mentula ſubducti noſtra ſupercilii.

L. AD PRIAPUM.

QVædam, ſi placet hoc tibi, Priape,
Ficoſiſſima me puella ludit:
Et non dat mihi, nec negat daturam:
Cauſaſque invenit uſque differendi.
Quæ ſi contigerit fruenda nobis:
Totam cum paribus, Priape, noſtris
Cingemus tibi mentulam coronis.

LI. PRIAPUS.

QVid hoc negoti eſt, quave ſuſpicer cauſa
Venire in hortum plurimos meum fures,
Cum quiſquis in nos incidit, luat pœnas;

Et usque curvos excavetur ad lumbos?
Non ficus hic est præferenda vicinæ.
Vvæque, quales flava legit Arete:
Non mala truncis asserenda Picenis.
Pyrumve, tanto quod periculo captes;
Magisque cera luteum nova prunum,
Sorbumve ventres lubricos moraturum.
Præsigne rami nec mei ferunt morum.
Nucemve longam, quam vocant avellanam,
Amygdalumve flore purpureo fulgens.
Non brassicarum fero gulosior caules,
Betasve, quantas hortus educat nullus,
Crescensve semper in suum caput porrum:
Nec seminosas ad cucurbitas quenquam,
Ad ocymumve cucumeresve humi fusos,
Venire credo, sessilesve lactucas.
Nec ut salaces nocte tollat crucas,
Mentamque olentem, cum salubribus rutis:
Acresque cæpas, alliumque fibratum.
Quæ cuncta nostro ut ambiamus in septo.
Non pauciora proximi ferunt horti,
Quibus relictis, in mihi laboratum
Locum venitis, improbissimi fures.
Nimirum apertam convolatis ad pœnam:
Et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

LII. PRIAPUS.

HEus tu, non bene qui manum rapacem
Mandato mihi contines ab horto:
Iam primùm stator hic libidinosus

Alternis ineundo & exeundo
Porta te faciet patentiorem.
Accedunt duo, qui latus tuentur,
Pulchre pensilibus peculiati.
Qui cùm te malè foderint jacentem,
Ad partem veniet salax asellus,
Nihilo deterius mutoniatus.
Quare, qui sapiet, malum cavebit,
Cum tantum hic sciet esse mentularum.

LIII. AD PRIAPUM.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo:
Cùm capiant alti vix sua musta lacus.
Magnaque fecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.
Tu quoque Dive minor majorum exempla secutus,
Quãvis pauca damus, consule poma boni.

LIV. PRIAPUS.

E, D, si scribas, temonemque insuper addas:
Qui medium vult D*scindere, pictus erit.*

LV. PRIAPUS.

Credere quis posset: falcem quoque, turpe fateri,

De digitis fures surripuisse meis?
Nec movet amissi tam me jactura pudorque;
Quam præbent justos altera tela metus.
Quæ si perdidero patria multabor, & olim
Ille tuus civis, Lampsace, Gallus erit.

LVI. PRIAPUS.

DErides quoque fur, & impudicum
Ostendis digitum mihi minanti,
Eheu me miserum quod ista lignum est,
Quæ me terribilem facit videri.
Mandabo domino tamen salaci,
Ut pro me velit irrumare fures.

LVII. PRIAPUS.

COrnix, & caries, vetusque bustum,
Turba & putrida facta seculorum,
Quæ forsan potuisset esse nutrix
Tithoni, Priamique, Nestorisque,
Illis ni pueris anus fuisset.
Ne desit sibi, me rogat, fututor.
Quid si nunc roget, ut puella fiat?
Si nummos tamen hæc habet, puella est.

LVIII. PRIAPUS.

QUicunque fur fefellerit fidem nostram
Effeminato marceat procul culo.
Quæque hæc proterva carpserit manu poma
Puella, nullum inveniat fututorem.

LIX. PRIAPUS.

PRadictum tibi ne negare possis,
Si fur veneris impudicus ibis.

LX. AD PRIAPUM.

SI quot habes versus, tot haberes poma,
Priape:
Esses antiquo ditior Alcinoo.

LXI. AD PRIAPUM.

QVid frustra quereris, colone, mecum,
Quod quondam bene fructuosa malus,
Autumnis sterilis duobus adstem?
Non me prægravat, ut putas, senectus,
Nec sum grandine verberata dura,
Nec gemmas modo germine exeuntes
Seri frigoris ustulavit aura,
Nec venti, pluviæve, siccitasve,
Quod de se quererer, malum dederunt:
Non sturnus mihi, graculusve raptor,
Aut cornix anus, aut aquosus anser,
Aut corvus nocuit siticulosus:
Sed quod carmina pessimi Poëtæ.
Ramis sustineo laboriosis.

LXII. PRIAPUS.

SEcuri dormite canes, custodiet hortum
Cum sibi dilecta Seirius Erigone.

LXIII. PRIAPUS.

PArum est, amici, fixerim quod hic sedem,
Agente terra per Caniculam rimas,
Siticulosam sustinens diu æstatem.
Parum, quod imi perfluunt sinus imbres:
Et in capillos grandines cadunt nostros:
Rigetque dura barba juncta crystallo.
Parum, quòd acta sub laboribus luce,
Parem diebus pervigil traho noctem.
Huc adde, quod me terribilem deum fuste
Manus sine arte rustica dolaverunt,
Interque cunctos vilius deos numen
Cucurbitarum ligneus vocor custos.
Accedit istis impudentiæ signum,
Libidinoso tenta pyramis nervo:
Ad hanc puella (penè nomen adjeci)
Solet venire cum suo fututore:
Quæ ut tot figuris, quot Philænis enarrat,
Non inventis, pruriginosa discedit.

LXIV. PRIAPUS.

QVidam mollior anseris medulla,
Furatum venit huc amore pœnæ.

Furetur licet usque non videbo.

LXV. AD PRIAPUM.

HIc tibi, qui rostro crescentia lilia mersit,
Cæditur è tepida victima porcus hara.
Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape:
Horti sit facies janua clausa tui.

LXVI. PRIAPUS.

TV, quæ, ne videas notam virilem,
Hinc averteris, ut decet pudicam:
Nimirum, nisi quod times videre.
Intra viscera habere concupiscis.

LXVII. PRIAPUS.

PEnelopes primam DIdonis prima sequatur,
Et primam CAni syllaba prima REmi,
Quodque fit ex illis, mihi tu deprensus in horto
Fur dabis: hac pœna culpa luenda tua est.

LXVIII. PRIAPUS.

RVsticus indocte si quid dixisse videbor,
Da veniam: libros non lego, poma lego.

Sed rudis hic dominum toties audire legentem
Institi, Homeriacas edidicique notas.
Psoleon ille vocat, quod nos Psoloenta vocamus:
Id quod nos culum, culeon ille vocat.
Smerdaleos certe nisi res non munda vocatur,
Et pædiconum mentula smerdalea est.

LXIX. PRIAPUS.

QVid? nisi Tænario placuisset Troica cunno
Mentula, quod caneret, non habuisset opus.
Mentula Tentalidæ bene si non nota fuisset,
Nil, senior Chryses quod quereretur, erat.
Hæc eadem socium tenera spoliavit amica,
Quæque erat Æacidæ, maluit esse suam.
Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
Ad citharam, cithara, tentior ipse sua.
Nobilis hinc nata nempe incipit Ilias ira:
Principium sacri carminis illa fuit.
Altera materia est error fallentis Vlyssei,
Si verum quæras, hunc quoque movit amor.
Hinc legitur radix de qua flos aureus exit:
Quem cum moly vocat, mentula moly fuit.
Hinc legimus Circen, Atlantiademque Calypso

Grandia Dulichii jussa tulisse viri.
Hujus & Alcinoi mirata est filia membrum
Frondenti ramo vix potuisse tegi.
Ad vetulam tamen ille suam properabat, & omnis
Mens erat in cunno Penelopeia tuo.
Quæ sic casta manes, ut jam convivia visas:
Utque fututorum sit tua plena domus.
E quibus ut scires quicunque valentior esset:
Hæc es ad arrectos verba locuta procos:
Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse:
Sive illi laterum, seu fuit artis opus.
Qui quoniam periit, modò vos intendite, qualem
Esse virum sciero, vir sit ut ille meus.
Hac ego Penelope potui tibi lege placere:
Illo sed nondum tempore factus eram.

LXX. PRIAPUS.

CUm fici tibi suavitas subibit,
Et jam porrigere hunc manum libebit:
Ad me respice, fur & æstimato,
Quot pondo tibi mentula est cacanda.

LXXI. PRIAPUS.

ILlusit mihi pauper inquilinus,
Qui libum dederat, molamque fusam,

Quare partibus additis in ignem
Sacro protinus hinc abit peracto.
Vicini canis huc ſubinde venit,
Nidorem puto proſecuta fumi:
Quæ libamine mentulæ comeſo,
Tota nocte mihi litat rigendo.
At vos amplius hoc loco cavete
Quidquam ponere, ne famelicorum
Ad me turba velit canum venire:
Ne dum me colitis meumque numen:
Cuſtodes habeatis irrumatos.

LXXII. PRIAPUS.

SI commiſſa meæ carpes pomaria curæ:
Dulcia quid doleam perdere, doctus eris.

LXXIII. AD PRIAPUM.

POmarii tutela diligens, rubro
Priape furibus minare mutino.

LXXIV. PRIAPUS.

QVod movear non eſt: quia ſi furaberis ipſe
Grandia mala, tibi μακρὰ βραχεῖα dabo.

LXXV. PRIAPUS.

OBliquis pathicæ quid me ſpectatis ocellis?
Non ſtat in inguinibus mentula tenta meis.
Quæ tamen exanimis nunc eſt, & inutile lignum:
Vtilis hæc, aram ſi dederitis, erit.

LXXVI. PRIAPUS.

PEr medios ibit pueros, mediaſque puellas
Mentula: barbatis non niſi ſumma petet.

LXXVII. AD PRIAPUM.

DOdona eſt tibi Iupiter ſacrata,
Iunoni Samos, & Mycena Diti:
Undæ Tænaros æquoriſque Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces:
Delphos Pythius orbis umbilicum:
Creten Delia, Cynthioſque colles:
Faunus Mænalon, Arcadumque ſilvas.
Eſt tutela Rhodos beata Solis:
Gades Herculis, humidumque Tibur:
Cyllene celeri Deo nivoſa:
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos.
Ennææ Cererem nurus frequentant:
Raptam Cyzicos oſtreoſa Divam:

Formoſam Venerem Cnidos, Paphoſque.
Mortales tibi Lampſacum dicarunt.

LXXVIII. PRIAPUS.

QVod ſim jam ſenior, meumque canis
Cum barba caput albicet capillis:
Deprenſos ego perforare poſſum
Tithonum, Priamumque, Neſtoremque.
Immanem ſtomachum mihi videtis,
Qui denſam facitis ſubinde ſepem,
Et fures prohibetis huc adire.
Hoc eſt lædere, dum juvatis; hoc eſt
Non admittere ad aucupem volucres.
Obſtructa eſt via: nec licet jacenti
Iactura natis expiare culpam.
Ergo qui prius uſque & uſque & uſque
Furum ſcindere podices ſolebam,
Per noctes aliquot, dieſque ceſſo:
Pœnas do quoque, quod ſatis, ſuperque eſt,
In ſemenque abeo, ſalaxque quondam
Non vitam perago. quis hoc putaret,
Vt luſu citharœdus abſtineret?
At vos ne peream ſitu ſenili,
Quæſo deſinite eſſe diligentes,
Neve imponite fibulam Priapo.

LXXIX. PRIAPUS.

AT dii, deæque dentibus tuis eſcas
Negent amicas cunnilinge vicine,

Per

Per quem puella fortis ante, nec mendax,
Et quæ solebat impigro celer passu
Ad nos venire: nunc misella Labdace
Vix posse jurat ambulare præ fossis.

LXXX. AD PRIAPUM.

PRiape, quòd sis fascino gravis tento,
Quod exprobravit hic tibi suo versu
Poëta noster: erubescere hoc noli.
Non es Poëta fascinosior nostro.

LXXXI. AD PRIAPUM.

AT non longa satis non stat bene mentula crassa,
Et quam si tractes, crescere posse putes.
Me miserum cupidas fallit mensura puellas,
Non habet hæc aliud mentula majus eo.
Utilior Tydeûs, qui si quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.
Sed potuit damno nobis novitasque, pudorque
Esse: repellendus sæpius iste mihi.

LXXXII. AD PRIAPUM.

DUm vivis, sperare decet: tu rustice custos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

LXXXIII. AD PRIAPUM.

Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli,
Hæc tibi perspectus Templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis si fas est sancte paciscor,
Assiduus custos ruris ut esse velis:
Improbus ut si quis nostrum violarit asellum
Hunc tu, sed taceo. scis puto quod sequitur.

LXXXIV. Albii Tibulli de inertia inguinis.

AD PRIAPUM.

Quid hoc novi est? quid ira nuntiat Deûm?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cum jaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet Priape? qui sub arboris coma
Soles sacrum revincte Pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino.
At ô Tripalle sæpe floribus novis
Tuas sine arte deligavimus comas:
Abegimusque voce sæpe, cum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Vale Priape: debeo tibi nihil.
Vale nefande destitutor inguinum,

Jacebis inter arva pallidus situ,
Canisve sævus usque minget, aut tibi
Aper fricabit oblitum latus luto.
Sceleste penis; ô cui meum malum
Gravi, piaque lege noxiam lues!
Licet querare: nec tibi tener puer
Patebit ullus: ingemente qui toro
Juvante verset arte mobilem natem.
Puella nec jocosa te levi manu
Fovebit, apprimetve lubricum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur: inter atra cujus inguina,
Vagaque pelle, tectus inguinum gelu
Araneosus obsidet fores situs.
Tibi hæc paratur: ut tuum ter & quater
Voret profunda fossa lubricum caput
Licebit æger, aut languentior cubes,
Tereris usque, donec ah miser, miser
Triplexque, quadruplexq; compleas specum.
Superbia ista proderit nihil: simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est iners pigetne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel.
Sed ille cum redibit aureus puer:
Simul sonanti senseris iter pede:
Repente nervos excitet libidine
Et inquietus inguina arrigat tumor:
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

PRIAPEIUM

Albii Tibulli Equitis Romani,

Totidem Iambis puris Græce.

Ἔα τί χρῆμα; τί χρέος θεόσσυτον;
Ἐμοὶ μετ' ἄρτι πρῶτα παιδικῶν κόρους
Ἀωρὶ νυκτὸς ἀγκοῖς ἀμφεθάλπετο·
Φάλητις ἦν μὲν ἔργον οὐδέν. οὐδ' ἅμα
Ἄκικυς ἀντάειρε σύντονον κάρα.
Ἄληθες ὦ Πρίηφ' ὃ ἐν δρυὸς σκιᾷ
Ἐρυθρὸς ἐξέρυθρον εὐτρεπὴς πέος
Κάθῃ, πυκαστὶς ἀμπελοστεφὲς κάρα;
Τείφαλλε, σοὶ γὰρ ἡ μὲν ἀνθέμῳ φόβῃ
Ἔδησα δυσκτένιστα βοστρύχων πλέκη.
Τόδ' αὖ σοβῶν ἔκυρον, εἴτε σοι πάλαι
Τρόχις κολοιὸς εἴτε πέμπαλος κόραξ
Κάρα κόλαπτε χείλεσ' ἀγκυλοστόμοις.
Ἄπερρε, καὶ γὰρ οὐδὲν εὖ πεποίθαμεν.
Ἄπερρ', ἄπερρέ μοι τὰ τοῦ πέους προδούς.
Χαμαιρριφὴς γὰρ, δυσπινής τε κείσεαι.
Κύον δ' ὀπισθίουρος, ἠὲ βορβόρου
Ἐθὰς καθυβρεῖ σε σῦς ὀρεινόμος.
Ἄπιστ' ἄπιστε φάλλ' ἐμὸς μέγας φθόρος,
Κακῷ, σάφ' ἴσθι, τίσεαι νόμῳ δίκην.
Κλάοις ἄν. οὐδὲ σοὶ φίλου κόρου ποτὲ
Χάρις γένοιτ' ἄν, ὃς λυγισμὸν εὖ μάλα
Στρέφοιτο λυσίπυγον ἐμμαλέστατα.
Σοὶ δ' οὔτε χερσὶν οὐ φιλόστιβος κόρη
Τεθάλψετ' οὐ γὰρ χρῶτα συμκλαιήσεται.

Χαμαιπέτη γὰρ νωδὸς, ἡ παλαιγενὴς
Πάρεστ', ἐφ' ἧς γε δυσθεροῦς διασφαγὸς
Παλιστρόφοις ἑλικτὰ ῥυτίδων σχιδαῖς
Ἀραχνίων πέφλιδε τριπτυχοῦν ῥάκη.
Ἰδοῦ παρεστ' ἴν' ὥς σε τετράκις μάλα
Ἄβυσσον αὖ βέρεθρον ἐγκάπτῃ κάρα.
Κηρηβαρὴς γένοι' ἄν, ἔκπνοος τ' ὄφις.
Ἀτὰρ παλιντριβής γε φεῦ τάλαν τάλαν
Ἐπιστρεφὲς τέταρτα τὸ ληθυνοεῖς κύπτς.
Ὑπέρφρονος δ' ἂν οὐκ ὀνειρολήματος
Τότ' οὖν, ἐς ἰλὺν ἢ ἀχανὲς βύθος πεσών.
Τί δ'; οὐ φρένας σ' ἐφῖκε τῆς ἀθυμίας;
Τονῦν ἀτῶα μυχτῇ προΐξεο.
Ὅταν γὰρ κεῖνος ὧδε παῖς ἀφίξεται,
Ψόφος δέ σ' ὦπ' ἀπαρτοῦ ποδὸς βαλεῖ,
Στύοιτ' ἂν ὀρθόστρεμνος ὄρχεων τόνος,
Τά, τ' ἄρθρα τυμπανισμὸς ἐμμανοῦς στόρευ,
Λάβοι ἂν ἀσφάδαστος ὥστε μὴ καμεῖν,
Πρινή σε τέρμα λοισθίῳ δυμηκόπῳ.

LXXXV. M. Valerii Martialis

AD PRIAPUM.

Non horti, neque palmitis beati, &c.
Sed rari nemoris Priape custos,
Ex quo natus es, & potes renasci;
Furaces moneo manus repellas.
Et silvam domini focis reserves.
Si defecerit hac, & ipse lignum es.

LXXXVI. PRIAPUS.

VEre rosa, Autumno pomis, Æstate frequentor
Spicis: una mihi est horrida pestis Hyems.
Nam frigus metuo, & vereor ne ligneus ignem
Hac Deus ignaris præbeat agricolis

LXXXVII. C. Valerii Catulli

PRIAPUS.

EGo hac ego arte fabricata rustica,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Mihi corolla picta Vere ponitur:
Mihi rubens arista Sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore;
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram,
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante Templa sanguinem.
Proin viator hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis hoc tibi expedit.
Parata namque crux, sine arte mentula.

Velim pol, inquis: at pol ecce, villicus
Venit; valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula apta clava dextera.

C. Valerii Catulli

PRIAPEIUM,

Totidem Iambis puris Græce redditum.

Ἐγὼ τέχνημα φαυλοτέκτονος χερός,
Ἐγὼ δὲ φιτρὸς ἀζαλὴς, ὁδοιπόρε,
Ἴδου ὃ γηΐδιον τόδ' ἐξ ἀριστερᾶς,
Ἔπαυλιν ἀνδρὸς, ὄρχατόν τ' ἐπισκοπῶ
Πένητος, ἐκ δὲ φωρὸς ἁρπαγὰς τρέπω.
Ἐμοὶ μὲν ἦρ' ἄρηξεν ἄνθειος πλόκος,
Ἐμοὶ δὲ πυρσόφλοιος ἄσταχυς θέρει,
Ὀπωρινῷ τε λαρὸς ἀμπέλου βότρυς,
Κακῷ τε χείματ' ὠμὸν ὄμφακος στέφος.
Χίμαιρ' ἐμοῖσιν ἴξαλος νομεύμασι
Πόλιν δ' ἀμολγαῖς οὖθατ' εὐγλαγῆ φέρει.
Ἐμῶν ἀπ' ἀμνὸς εὐθαλὴς ἐπαύλεων
Δόμονδε βριθυκέρματον χὲρ εἰσάγει.
Τέρενα πόρτις αἰγομήτορος βοὸς
Χέει πρόναος αἱματοσφαγὲς λίβος
Θεοῖσι. Τόνδε τὸν θεὸν σέβου ξένε,
Χέρας δὲ χωρὶς ἴσχε. σοὶ τόδ' ἀσφαλές.
Ἕτοιμος ἀσκέπαρνον αἰκία πέος.
Λέγοις, θέλοιμ' ἂν ἀλλ' ἰδοὺ προσέρχεται
Ἀγροῖκος οὗτος. ὧν γ' ἀποσπάδες τόδε
Πέος τυλωτὸν ὅπλον ἐμπρέπει χερί.

LXXXVIII. Ejuſdem

PRIAPUS.

HVnc ego juvenes locum, villulamque paluſtrem,
Tectam vimine junceo, cariciſque maniplis,
Quercus arida, ruſtica conformata ſecuri,
Nunc tuor: magis, & magis ut beata quotannis,
Hujus nam domini colunt me, Deumque ſalutant.
Pauperis tugurii pater, filiuſque coloni.
Alter aſſidua colens diligentia, ut herba
Dumoſa, aſperaque à meo ſit remota ſacello:
Alter parva ferens manu ſemper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens ſpica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallenteſque cucurbitæ, & ſuaveolentia mala,
Vva pampinea rubens educata ſub umbra,
Sanguine hanc etiam mihi (ſed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipeſque capella,
Pro queis omnia honoribus hæc neceſſe Priapo
Præſtare: & domini hortulum vineamque tueri
Quare hinc, ô pueri, malas abſtinete rapinas.

Vicinus prope dives est, negligensque Priapus
Inde sumite. semita hæc deinde vos feret ipsa.

Ejusdem AD PRIAPUM.

HUnc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quave sylva Priape
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

Priapeiorum finis.

VETERUM QUORUMDAM POETARUM ERRONES VENEREI.

Qui cum præmissis Priapeis V. P. Catalecta conficiunt, juxta edit. Lugdun. Frellonianam.

PERVIGILIUM VENERIS, Q. Catulli Urbicarii existimatum.

DESIDERIUS ERASMUS Roterodamus.

In Adagiis, Chiliadis, I, cent. ult.

AMYCLAS PERDIDIT SILENTIUM.

INnuit adagium Virgilius Æneidos lib. x. cùm ait, —— *tacitis regnavit Amyclis*. Et ibi apud Servium Lucilius, *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse*. Silius Italicus, ---- *Quasque evertêre silentia Amyclæ*. Meminit & Catullus, nisi fallit inscriptio, Carmi-

mis DE VERE, quod nuper nobis Aldus Manutius noster exhibuit, in antiquissima quadam Galliæ bibliotheca repertum.

Sic Amyclas, dum tacebant perdidit silentium.

LILIUS GREGOR. GIRALDUS

Histor. Poëtar. lib. x.

ALdum Manutium memini dicere se Catulli poëma habere quod VER inscribitur. Idem & Erasmus fatetur: necdum tamen mihi videre contigit.

JOSEPH. SCALIGER JUL. CÆS. F.

Castigationibûs in Catullum.

ID tantùm dicam: Urbicarium & Mimographum Poëtam huic nostro cognominem fuisse; cujus meminit Juvenalis. Et fortasse is fuit auctor Carminis DE VERE, ex quo citat Erasmus: *Sic Amyclas*, &c.

JUSTUS LIPSIUS.

Elect. lib. I. c. V.

DUcti elegantiâ carminis, quidam Catullum Veronensem censuerunt; alii, in queîs Scaliger, Catullum Ur-

carium Poëtam, nominatum Juvenali:
——— *clamoſum ageret cum phaſma Catulli.* Neuter poteſt. niſi me fallit ratio temporum, quam ſubduxi non vanis conjecturis. Natum enim comperior hoc carmen in imperio Auguſti. Argumentô horum verſuum:

Vnde Rhamnes & Quirites, proque prole poſterum
Romoli, patrem crearet & nepotem Cæſarem.

Dico ampliùs poſt Virgilium vixit hic ſcriptor, &c. Sanè quiſquis ſcriptor, non ambigo quin genitum hoc carmen extrema ſub tempora Auguſti. Ita Catulli illius germani non erit: quia ætate relinquitur: non illius minuti Urbicarii, quia anteit.

De Judicio CASP. BARTHII,

PETRI SCRIVERII *judicium.*

QUod Caſpar Barthius lib. XVI. c, VI. & lib. XLIV. C. VI. *Pervigilium* SENECæ tribuat, mihi prorſus ridiculum videtur. Fides ſit penes auctorem. Exemplar vetus, ſiquidem extet, videre equidem velim, & omnes ſinus excutere. Teſtatur de univerſo hoc Carmine, ſe ſcriptum exemplar habere,ubi SENECæ adſcribitur expreſſè. Hæc ille uno loco:

altero, hæſitantior de eodem Poëmati loquitur. *Auctor Pervigilii Veneris*, inquit, *nec Catullus, nec Vrbicarius: fortè* SENECÆ.

GEORGIUS ERHARDUS.

P. Catullo Urbicario tribuit Scaliger ad Catullum. Primus edidit Petrus Pithœus. Notis illuſtrarunt idem Pithœus, Juſtus Lipſius in Elect. & Janus Douſa F.

CLAUDIUS SALMASIUS

ad Solinum, pag. 277.

AUctor Pervigilii Veneris, quem Catullum eſſe nullo judicio volunt eruditi, cùm ſit mediæ ætatis, & Solino ſupparis:

Tum cruore de ſuperno, ſpumeo Portus globo, &c.

PERVIGILIUM VENERIS,

Trochaico Metro:

SUNT VERO VERSUS XXII.

[*Hunc Titulum præfert MS. C. Cl.* Salmasii]

Cras Amet, qui nunquam Amavit; quique Amavit, cras Amet.

VEr novum, ver jam canorum, vere natus Orbis est.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat casas virentes de flagello myrteo.
Cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.
Cras amet, &c.
Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo,
Cœrulas inter catervas, inter & bipedes equos,
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Cras amet, &c.

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus.
Ipsa surgentes papillas de Favonî spiritu
Vrget in notos penates. ipsa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, spargit humentes aquas:
Lacrymæ micant trementes de caduco pondere;
Gutta præceps orbe parvo sustinet casus suos;
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.
Humor ille quem serenis astra rorant noctibus,
Mane virgines papillas solvit humenti peplo.
Ipsa jussit, mane ut udæ virgines nubant Rosæ.
Facta Cypris de cruore deque Amoris osculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Vnico, marita, nodo non pudebit solvere.

Cras amet, &c.

Ipsa Nymphas Diva luco jussit ire myrteo.
It puer comes puellis. Nec tamen credi potest,
Esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite Nimfæ, posuit arma. feriatus est Amor.
Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est;
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen Nymfæ cavete, quod Cupido pulcher est:

Totus est inermis idem, quando nudus est Amor,
Cras amet, &c.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Vna res est, quam rogamus: Cede Virgo Delia;
Vt nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret.
Ipsa vellet ut venires, si deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriatis noctibus:
Congreges inter catervas, ire per saltus tuos;
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec Poëtarum Deus.
De tenente tota nox est perviglanda canticis.
Regnet in silvis Dione: tu recede Delia,
Cras amet, &c.
Jussit Hybleis tribunal stare Diva floribus.
Præses ipsa jura dicet, adsidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores quantus Ennæ campus est,
Hybla florum subde messem quotquot annus attulit.
Ruris hîc erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque silvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt:
Jussit omnes adsidere pueri Mater alitis.
Jussit & nudo puellas nil Amori credere.
Cras amet, &c.
Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.

Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias
Vt pater totis crearet vernus annum nubibus,
In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis;
Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu
Intus occultis gubernat procreatis viribus,
Perque cœlum, perque terras, perque pontum ſubditum
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, juſſitque mundum noſſe. naſcendi vias.
Cras amet, &c.
Ipſa Trojanos nepotes in Latinos tranſtulit,
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit;
Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem,
Romulũque; cum Sabinis ipſa fecit nuptias;
Vnde Ramnes & Quirites. perque prolem poſteram
Romuli mater creavit & nepotem Cæſarem.
Cras amet, &c.
Rura fecundat voluptas, rura Venerem ſentiunt.
Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager, cùm parturiret ipſa, ſuſcepit ſinu:

Ipsa florum delicatis educavit osculis.
Cras amet, &c.
Ecce, jam super genistas explicant tauri latus.
Quisque tutus, quo tenetur, conjugali fœdere.
Subter umbras cum maritis, ecce, balantum greges.
Et canoras non tacere Diva jussit alites.
Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt:
Adsonat Terei puella subter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici musico,
Et neges queri sororem de marito barbaro.
Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
Quando faciam ut Chelidon, ut tacere desinam?
Perdidi Musam tacendo: nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas, cùm tacerent, perdidit silentium.
Cras amet, &c.

FLORIDI DE QUALITATE VITÆ.

I.

BACCHE vitium repertor plenus adsis vitibus,
Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
Conditumque fac vetustum, ne malignis venulis
Asperum ducat saporem versus usum in alterum.

II.

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens.
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt voxio.

III.

Sic Apollo, deinde Liber, sic videtur ignifer.
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem vite & radio conferunt:
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

IV.

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,
Cortici summæ notavi nomen ardoris mei
Nulla fit exinde finis vel quies cupidinis.
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet literas.

V.

Qui mali sunt, non fuere matris ab alvo mali:
Sed malos faciunt malorum falsa contubernia.

VI.

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Cive Romano per orbem nemo vivit rectiùs.
Quippe malim unum Catonem, quàm trecentos Socrates.

VII.

Tam malum est habere nummos, non habere quàm malum est.
Tam malum est audere semper, quàm malum est semper pudor.
Tam malum est tacere multùm, quàm malum est multùm loqui.
Tam malum est foris amica, quàm malum est uxor domi.

Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.

VIII.

Consules fiunt quotannis, & novi Proconsules.
Solus aut Rex, aut Poëta non quotannis nascitur.

VALERII ÆDITUI.

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis;
Quid mi abs te quæram, verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subitò mihi sudor.
Si taceo, subidus, duplo ideo pereo.

EJUSDEM.

Quid faculam præfers, Phileros, quæ nil opu' nobis?
Ibimus, hoc lucet pectore flamma satis.
Istam nam potis est vis sæva extinguere venti,
Aut imber cœlo candidu' præcipitans:
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nulla est, quæ possit vis alia opprimere.

PORTII LICINI.

Custodes ovium teneraq; propaginis agnum,
Quaritis ignem? ite huc, quaritis? ignis homo est.
Si digitio attigero, incendam silvam simul omnem,
Omne pecus flamma est, omnia qua video.

Q. CATULLI.

Consiteram exorientem auroram fortè salutans,
Cùm subitò à lava Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestra:
Mortalis visu' est pulchrior esse Deo.

EJUSDEM.

Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotimum
Devenit. sic est: perfugium illud habet.
Quòd si non interdixem, ne illum fugitivum
Mitteret ad se intrò, sed magis ejiceret?
Ibimu' quasitum. verùm ne ipsi teneamur.
Formido, quid ago? da Venu' consilium.

C. CÆS. OCTAVIANI AUGUSTI.

Quod futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.

Fulviam ego ut futuam? quid, si me Manius oret.
Pædicem, faciam? non puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. quid, si mihi vita
Charior est ipsa mentula? Signa canant.

C. MOECENATIS CILNII.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum.
Lubricos quate dentes,
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedam cruce, sustine.

Dum dubitat natura marem, faceretne puellam,
Factus es, ô pulcher, penè puella puer.

GALLIENI IMPERATORIS epithalamium.

Ite, agite, ô juvenes: pariter sudate medullis
Omnibus inter vos; non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.
Ludite, sed vigiles nolite extinguere lychnos:
Omnia nocte vident, nil cras meminêre lucernæ.

L. POMPONII.

Ridiculu'ſt quem te Caſcam tua dicit amica.
*Fili * potoni ſeſquiſenex puerum.*
Dic illam puſam. ſic fiet, Mutua muli.
Nam verè es puſus tu, tua amica ſenex.

IN C. CÆSAREM.

Vrbani, ſervate uxores, mœchum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti. Hinc ſumpſiſti mutuum.

IN EUNDEM.

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias;
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

ASINII GALLI.

Qui caput ad lævam deicit, gloſſemata vobis
*Præcipit. os nullum: vel potiùs pugilis. **
Semicapri quicunque ſubis ſacraria Fauni,
Hæc lege Romana verba notata manu.
Herſilus hîc jaceo, mecum Marulla quieſcit,
Quæ ſoror, & genitrix, & mihi ſponſa fuit.

Vera

Vera negas, frontemque trahens ænigmata Sphingos
Credis: ſunt Pythio vera magis tripode.
Me pater ex nata genuit, mihi jungitur illa:
Sic ſoror, & conjux, ſic fuit illa parens.

CUPIDO.

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in undis,
Penſa dedi Alcidæ, Bacchum ſervire coëgi,
Quamvis liber erat, * *

*

Cur Otho mentito ſit, quæritis, exul honore?
Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

P. VIRGILII MARONIS.

Scilicet, hoc ſine fraude, Vari dulciſſime, dicam:
Diſpeream, niſi me perdidit iſte potus.
Sin autem præcepta vetant me dicere, ſanè
Non dicam: ſed me perdidit iſte puer.

*

De qua Tucca tibi venit, ſed ſæpe videre
Non licet, occulitur lumine Clauſa viri.
De qua ſæpe tibi, non venit adhuc mihi. namque
Si occulitur, longè eſt, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi, ſed jamjam mihi nuntius
iſte P

Quid prodest? illi dicito quæ redit.
** Socer beate, nec tibi, nec alteri,*
Generque Noctuine, putidum caput.
Tuque nunc puella tali, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? hei mihi
Vt illi versus usquequaque pertinet!
Gener, socerque perdidistis omnia.

*

Superbe Noctuine putidum caput
Datur tibi puella, quam petis, datur:
Datur superbe Noctuine quam petis,
Sed ô superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium;
Duas, & hanc, & alteram dari tibi;
Adeste nunc, adeste, ducit ut decet,
Superbus ecce Noctuinus Hirneam.

*

Iacere me, quòd alta non possim, putas,
Vt ante vectari freta:
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi:
Valent, valent mihi ira & antiquus furor,
Et lingua, qua adsim adsim tibi,
Hei prostitutæ turpe contubernium
Sororis, ô quid me incitas?
Quid impudice & improbande Cæsari
Si furta dicantur tua,
Et helluato sera patrimonio
In fratre parsimonia
Vel acta puero cum viris convivia,
Vdæque per somnum nates,

Et inſcio repente clamatum ſuper
Thalaſſio, Thalaſſio.
Quid palluiſti, fœmina, an joci dolent?
An facta cognoſcis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos faſcinos:
Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prenſis videbo altaribus
Flavum prope Tybrim & olentes nauticum
Vocare: ubi adpulſa rates.
Stant in vadis cœno retenta ſordido,
Macrâque luctantes aqua.
Neque in culinam & uncta compitalia
Dapeſque ducis ſordidas:
Quibus repletus ut ſalivoſis aquis
Obeſam ad uxorem redis,
Et æſtuantes nocte ſolvis pantices,
Oriſque lambis ſuaviis.
Nunc læde, nunc laceſſe, ſi quidquam vales,
En nomen adſcribo tuum.
Cinœde Luci, en, te reliquerunt opes,
Faméque genuini crepant.
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres, & iratum Jovem,
Sciſſumque ventrem, & hernioſi patrui
Pedes inedia turgidos.

*

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus:
Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum rauces excutiens calamos.

Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse?
Quàm potiùs bibulo decubuisse toro?
Sunt cupæ, & calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila umbrosis frigida arundinibus.
Est & Mænalio quæ garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula in ore sonans.
Est & vappa cado nuper diffusa picato:
Et strepitans rauco murmure rivus aquæ.
Sunt etiam violæ croceo de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mista rosa:
Et quæ virgineo libata Achelois in amne,
Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt & caseoli, quos juncea fiscina siccat:
Sunt autumnali cerea pruna die,
Castaneæque nucesque & suave rubentia mala:
Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
Sunt & mora cruenta, & lentis uva racemis
Est pendens junco cœruleus cucumis:
Est tuguris custos armatus falce saligna:
Sed non & vasto est inguine terribilis.
Huc Alibida veni: fessus jam sudat asellus.
Parce illi: vestrum delicium est asinus,
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ:
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro,
Seu vis crystallo ferre novos calices.
Hîc age, pampinea fessus requiesce sub umbra,

Et gravidum roseo necte caput strophio,
Formosus teneræ decerpes ora puellæ:
Ah! pereat cui sunt prisca supercilia.
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista tegi?
Pone merum & talos. pereat qui crastina curat.
Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

C. PLINII.

Huc mihi vos largo spumantia pocula vino,
Vt calefactus Amor pervigilare velit.
Ardenti Baccho succenditur ignis Amoris:
Nam sunt unanimi Bacchus Amorq; dii.

EJUSDEM.

Cùm libros Galli legerem, quibus ille parenti
Ausus de Cicerone dare est palmamque, decusque,
Lascivum inveni lusum Ciceronis, & illo
Spectandum genio, quo seria condiit, & quo
Humanis salibus multo varioque lepôre
Magnorũ ostendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur, quòd fraude mala frustratus amantem
Paucula cœnato sibi debita savia Tiro
Tempore nocturno subtraxerit. His lego lectis.
Cur posthac, inquam, nostros celamus amores,

Nullumque in medium timidi damus? atque fatemur
Tironisque dolos, Tironis nosce fugaces
Delicias, & furta novas addentia flammas?

INCERTI EX PLATONE.

Dum semihulco savio
Meum puellum savior,
Dulcemque florem spiritus
Duco ex aperto tramite:
Anima tunc ægra & saucia
Cucurrit ad labia mihi,
Rictumque in oris pervium,
Et labra pueri mollia
Rimata itineri transitus
Vt transiliret nititur.
Tum si moræ quid plusculæ
Fuisset in coitu osculi,
Amoris igni percita
Transisset, & me linqueret:
Et mira prorsum res foret,
Vt ad me fierem mortuus,
Ad puerum ut intus viverem.

RUFINI V. C.

PASIPHAÆ FABULA EX OMNIBUS METRIS HORATIANIS.

FILIA *Solis*
Æstuat igne novo,
Et per prata juvencum,
Mentem perdita, quæritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non Regalis honos, non magni cura mariti.
Optat in formam bovis
Convertier vultus suos;
Et Prœtidas dicit beatas:
Ioque laudat, non quod Isis alta est,
Sed quod juvenca cornua in frontem levat,
Si quando miseræ copia suppetit
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floresque vernos cornibus illigat,
Oráque jungere quærit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis:
Illicitisque gaudet
Corpus includi stabulis, se faciens juvencam.

Et amoris pudibundi malesuadis
Obsequitur votis, & procreat (heu nefas) bimembrem;
Cecropides juvenis quem perculit fractum manu,
Filo resolvens Gnossiæ tristia tecta domus.

L. APULEII

ΑΝΕΧΟΜΕΝΟΣ.

Ex Menandro.

AMare liceat, si potiri non licet.
Fruantur alii: non moror, non sum invidus.
Nam sese excruciat qui beatis invidet.
Quos Venus amavit, facit amoris compotes:
Nobis Cupido velle dat, posse abnegat.
Olli purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labella vellicent,
Malas adorent ore & ingenuas genas,
Et pupularum nitidas geminas gemmulas.
Quin & cùm tenera membra molli lectulo
Compectorata adhærent Veneris glutino,
Libido cùm lascivo instinctu suscitet
Sinuare ad Veneris usum femina, feminæ
Inter gannitus, & subantis voculas,
Carpant papillas, atque amplexus intiment,
Arentque sulcos molli in arvo Venerio,

Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis:
Dent crebros ictus, connivente lumine
Repedante cursu, Venere & anima fessula,
Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.
Hæc illi faciant queîs Venus non invidet,
At nobis casso saltem delectamine
Amare liceat, si potiri non licet.

JACOBUS DURANTIUS

Contradicit

APULEIANIS VERSIBUS.

NEfas amare, si Potiri non licet:
Quid solus est amor? nisi votum impotens,
Nolens voluntas, ardor expers ignium.
Ejusque pœna cui negatum jam frui?
Qui amat, fruatur: hoc Venus, hoc vult Amor.
Cupido posse cui negat, velle abnegat.
Res illa amore constat & potentiâ:
Et velle crux est, ni simul vires sient:
Et posse crux est, ni voluntas urgeat.
Olli ergo ament qui in lectulo cum virgine
Molli cubantes, membra teneris implicant
Nodis calentia, & procaci palmula
Omnia pererrant proximæ Veneris loca,
Et comprimentes osculo dulci labra,
Et hinc & inde commeante cingula

Et hinc & inde fluctuante Cypride,
Animis utrinque dulce colludentibus,
Saliente utrinque corde crebris pulsibus,
Unoque bina possidente pectora
Æstu, & tenaci conligati glutino,
Amplexibusque arctis adhærentes, levi
Vulnere puellæ molle laxant cingulum,
Oculis patrantibus, & cadente spiritu
In vasa Veneris vim vomentis fervidam;
Alvum rigantes imbre lacteo, sopor
Donec propinquus languidos demulceat
Artus, sepultas suscitans rursum faces.
Exeste Galli, vel quibus vim sustulit
Impos senectus: quêis potiri non licet,
Nec amare fas est, noscere nec ritus sacros:
Ac nec videre quæ imperat nobis Amor,
Dum floret ætas, dum inquies nostras calor
Urit medullas, & Venus Venerem jubet.

L. APULEII.

Florea serta meum mel, & hæc tibi carmina dono:
Carmina dono tibi, serta tuo genio.
Carmina, uti Critiæ lux hæc optata creatur,
Quæ bis septeno vere tibi remeat.
Serta autem, ut læto tibi tempore tempora vernent:
Ætatis florem floribus ut decores.
Tu mihi da contra pro verno flore tuum ver

Vt nostra exsuperes munera muneribus.
Pro implexis sertis, complexum corpore redde,
Próque rosis, oris suavia purpurei.
Quod si animum, inspires dona jam carmina: nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

EJUSDEM.

Et Critias mea delicia, & sol alme Carine,
Par in amore meo vita tibi remanet.
Ne metuas ne me ignis & ignis torreat, ut vult,
Hasce duas flammas dum patiar, potiar.
Hoc modò sim vobis unus sibi quisque quod ipse,
Hoc mihi vos eritis quod duo sunt oculi.

*

Jam libet ad usus, lasciváque furta reverti;
Ludere, Musa, juvat, Musa severa, vale.
Nunc mihi narretur tumidis Arethusa capillis:
Nũc adstricta comas, nũc resoluta comas.
Et modò nocturno pulsans mea limina signo,
Intrepidos tenebris ponere docta pedes.
Nunc collo molles circum diffusa lacertos,
Et flectat niveum semisupina latus.
Inque modos omnes dulces imitata tabellas
Transeat, & lecto pendeat illa meo
Nec pudeat quidquam; sed me quoque nequior ipsa

Exsultet toto non requieta toro.
Non deerit Priamum qui defleat, Hectora narret.
Ludere, Musa, juvat; Musa severa vale. *

*

Esse tibi videor demens, quòd carmina nolim
Scribere Patricio digna supercilio.
Quòd Telamoniaden non æquo judice victũ
Prætercam, & pugnas, Penthesilea, tuas:
Quòd non aut magni scribam primordia mundi,
Aut Pelopis currus, aut Diomedis equos:
Aut ut Achilleis infelix Troja lacertis
Quassata, Hectoreo vulnere conciderit.
Vos mare tentetis: vos detis lintea ventis:
Me vehat in tutos parva carina lacus.

*

Insanus vobis videor, nec deprecor ipse
Quo minùs hoc videar. Cur tamen hoc videor,
Dicite nunc. Quòd semper amas, quòd semper amasti.
Hic furor, hic, Superi, sit mihi perpetuus.

*

Quædam me, si credis, amat; sed dissilit, ardet;
Non sic, non leviter: sed perit & moritur.
Dum fugiet, gratis quædam simul atque rogabit,
Ostendã quam non semper amatus amem.

*

Iuratum tibi me cogis promittere, Galla,
Ne narrem. jura rursus & ipsa mihi,
Ne cui tu dicas. Nimium est lex dura: remittam,
Præterquam si vis dicere, Galla, viro,

PETRONII AFRANII ad Deliam.

Nescio quo stimulante malo pia fœdera rupi,
Non capiunt vires crimina tanta meæ.
Institit, & stimulis ardentibus impulit actũ,
Sive fuit Fatum, seu fuit ille Deus.
Arguimus quid vana Deos? vis, Delia verum?
Qui tibi me dederat, idem & ademit Amor.

*

Sic me custodi Cosconia; neve ligata,
Vincula sint nimium, neve soluta nimis.
Effugiam laxata nimis, nimis aspera rũpam
Sed neutrum faciam, commoda si fueris.

*

Semper munditias, semper, Basilisca, decores,
Semper compositas arte decente comas:
Et comptos semper cultus, unguentáque sẽper,
Omnia sollicita compta videre manu,
Non amo. neglectim mihi se quæ comit amica,
Se det, & ornatus simplicitate valet.
Vincula ne cures capitis discussa soluti,

Nec ceram in faciem: mel habet illa suũ.
Fingere se semper, non est confidere amori,
Quid, quòd sæpe decor, cùm prohibetur, adest?

*

Ante dies multos nisi te, Basilisca, rogavi,
Et nisi præmonui, te dare posse negas.
Vt subitò crevere, solent ex tempore multa,
Quàm scriptæ, meliùs cedere deliciæ.

*

Cur differs, mea lux, rogata semper?
Cur longam petis advocationem?
Primum hoc artificis scelus puellæ est.
Deinde est difficile, est laboriosum
In tentigine tam diu morari.
Nihil est præterea puella, nihil est.
* *Deprensa mel.*

*

Fœda est in coitu & brevis voluptas,
Et tædet Veneris statim peractæ.
Non ergo ut pecudes libidinosæ
Cæci protinus irruamus illuc;
Nam languescit amor, peritque flamma.
Sed sic, sic sine fine feriati,
Et tecum jaceamus osculantes.
Hic nullus labor est, ruborque nullus,
Hoc juvit, juvat, & diu juvabit;
Hoc non deficit, incipitque semper.

*

Quid sævis Sybari? domiti modò terga juvenci

Quid premis, & tenerum currere cogis equum?
Dum stupet ac novus est, & adhuc non novit amorem.
Parce: premendus erit cùm veteranus erit.

*

O sacros vultus Baccho. vel Apolline dignos.
Quos vir, quos tuto femina nulla videt!
O digitos, quales pueri vel virginis esse,
Vel potiùs credas virginis esse deæ?
Felix, si qua tuum conrodit femina collum,
Felix quæ labris livida labra facit.
Quæque puella tuo cum pectore pectora ponit,
Et linguam tenero lassat in ore suam.

*

Ejusdem ad Deliam.

Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei.
Hic quis sit, quæris? resonant tibi noctibus aures,
Et resonant totis? Delia te loquitur.
Non dubiè loquitur me Delia: mollior aura
Venit, & exili murmure dulce fremit.
Delia non aliter secreta silentia noctis
Submissa, ac tenui rumpere voce solet.
Non aliter teneris collum complexa lacertis
Auribus admotis condita verba dare,
Agnovi, vera venit mihi vocis imago,
Blandior arguta tinnit in aure sonus.

Ne cessate, precor, longos gestare susurros:
Dum loquor hæc, jam vos obticuisse queror.

*

Accusare & amare tempore uno,
Ipsi vix fuit Herculi ferendum.

INCERTI.

Formosa es, fateor: dives, generosa, venusta.
Confitear, si vis, omnia, redde vicem.
Nempe parum casta es: nempe es deprensa, negabis?
Res venit ad lites, rursus & illa negem.
Dic potiùs: sed nempe semel: sed nempe puella:
Et cùm deprensa, quid nisi frater erat?
Frater erat. nihil est. fecit quod Jupiter. illud
Sed quod non fecit Juppiter, hoc facitis.

PETRONII AFRANII
Ad quandam virifugam.

Pulchrior & nivei cùm sit tibi forma coloris,
Cuncta pudicitiæ jura tenere cupis.
Mirandum est quali naturam lege gubernes,
Moribus ut Pallas, corpore Cypris eas.
Te neque conjugii libet excepisse levamen,
Sæpius exoptans nolle videre mares.
Hæc tamen est animo quãvis exosa voluptas,
Numquid non mulier, cùm paris, esse potes.

EJUSDEM AD JULIAM.

Me nive candenti petiit modò Julia. rebar

Igne carere nivem, nix tamen ignis erat.
Quid nive frigidius? nostrum tamen urere pectus
Nix potuit manibus, Julia, missa tuis.
Quis locus insidiis dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta si latet ignis aqua?
Julia sola potes nostras extinguere flammas,
Non nive, non glacie, sed potes igne pari.

ALCIMI.

O blandos oculos & inficetos,
Et quadam propria nota loquaces:
Illic & Venus, & leves amores,
Atque ipsa in medio sedet voluptas.

EJUSDEM ALCIMI.

Lux mea Puniceum misit mihi Lesbia malum,
Jam surdent animo cætera poma meo.
Sordent velleribus hirsuta Sidonia canis,
Sordent hirsutæ munera castaneæ.
Nolo nuces, Amarilli, tuas, nec cerea pruna.
Rusticus hæc Corydon munera magna putet.
Horreo sanguineo malè mora rubentia succo,
Heu grave funesti crimen amoris habent!
Misit dente levi paulùm libata placentæ
Munera, de labris dulcia mella suis.
Nescio quid plus melle sapit, quod contigit ipsa

Spirans Cecropium dulcis odore thymum.

*

*Indoctus teneram suscepit * calculo pubem,*
Quam cogat primus discere literulas.
Sed cùm discipulos nullo terrore coërcet,
Et ferulis culpas tollere cessat iners:
Projectis pueri tabulis Floralia ludunt.
Jam nomen ludi rite magister habes.

CLAUDII CLAUDIANI V. C.

Marcus amans puerum, natum mentitur amare
Vultque pater dici, nescius esse pater.
Et pietate nefas, & amorem velat amore,
Se pietas umbram criminis esse dolet.
Nate, dies audit: nox & torus audit, Amice:
Et pro temporibus nomina mutat amor.
Stulte, quid ignaro non dicit Cinthia fratri?
Ne credas noctis digna latere diem.
Qui pater est, huic filius est: à lumine primo
Filius, à thalamis incipit esse pater.

*

Formosissima Laï feminarum,
Dum noctis precium tuæ requiro,
Magnum continuò petis talentum,
Tanti non emo, Laï, pœnitere.

PETRONII AFRANII
Ad Deliam.

Te vigilans oculis, animo te nocte requiro,
Victa jacent solo cùm mea membra toro.

Vidi ego me tecum falsa sub imagine somni:
Somnia tu vinces, si mihi vera venis.

*

Caballina furens amanda nulli,
Excussis modò calcibus fremebat:
Quæ quamvis facie micet rubenti,
Et vibret Parium nitens colorem:
Hirsutis tamen est petenda mullis,
Quæ possint pariles citare junctas.

*

Græcule, consueta lenandi callidus arte,
C pisti adductor conjugis esse tuæ.
Et quem fortè procax penitus cõroserat uxor,
Consueras patria præcipitare domo.
Sed prætensa astu, delusit retia quidam,
Teque tuis miserum depulit è laribus.
Solus vera probas jucundi verba Poëtæ:
Cùm jugulas hircum, factus es ipse caper.

*

Quid prodest Martis te vel de nomine dictũ,
Pruriat infami cùm tibi clune Venus?
Fors fuerat potius Cypridos ut nomen haberet,
Et natura daret Martia membra tibi.
Nunc utroque carens ignoti fabula sexus;
Femina cùm non sis, vir tamen esse nequis.

DE GALATHEA IN VASE.

Fulget, & in patinis ludit pulcherrima Naïs
Prandentum inflammans ora decore suo.

Congrua non tardus diffundat jura minister,
Vt lateat positis tecta libido cibis.

*

Ludere sueta vadis privato Nympha natatu
Exornat mensas mëbra venusta movens:
Cosme, has nolo dapes: vacuum mihi pone boletar.
Quod placet aspiciam, renuo quod saturat.

*

Praxitelis Venerem lapidosa per oscula multi
Stuprarunt. quin sub marmore viva fuit.
At mirum hos gelido è saxo prodiisse calores:
Mirare exustos lampade Solis agros.

*

Mitte, aquila. hunc puerum. mitte, inquam. si sapis: inquam,
Aut tibi per medium missile corpus agam.
Non mittis? sed non moveor stridoribus ullis,
Quid gemis? At culpa est. ingemis? auctor Amor,
Mirus Amor si credibilis volucrisque hominisque:
Sed quantum, oro, homini convenit & volucri?
Et si remigio alarum rostrôque superba es.
O aquila, ast omni est alite major homo.
Naturam accusa, quæ corpus pectore dispar:
At qui dat dispar corpore pectus Amor,
Quicquid formosum est, penetrat, trahit, arripit ad se.

Nempe est de Veneris sanguine natus Amor.

*

Quænam hæc forma? Dei, Cur versa est? fulgura lucis
Divina non fert debilis hæc acies
Quid verò existit tanquam uno è corpore corpus?
Hic amor est. Si Amor est, cur videt? at Jovis est,
Cur ita complicitis alis? nunquam evolat. At cur
In se convertit tela? sui ille amor est.
Cur ferro sine tela gerit? quia vulneris expers
Ille est: at vester vulnerat & cruciat.

*

Sic tua sit, quãcunque tuam vis esse puellam:
Sic quamcumque voles, mutuus ignis edat:
Sic nunquam dulci careant tua pectora flamma,
Et sic læsuro semper amore vacent.

*

Vince mero curas, & quicquid fortè remordet
Comprime: deque animo nubila pelle tuo.
Nox curam si prendit, alit. malè creditur illi
Cura, nisi à multo marcida facta mero.

*

Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra,
Et vitam faciunt balnea, vina, Venus.

*

Sanguine si nostro, nostra si morte liceret
Pallentes Orco, proh dolor! eripere:
Et si quæ patimur crudeli funere fata,
Hoc saltem nobis munere grata forent:
Tæderet quantos cœli convexa tueri;
Quantæ sævirent in sua corda manus?
Et tu, quæ fuerim si nosses, candide lector,
Nunc animam quoque tu purpuream vomeres,
Vivere quo rursus possim, & superesse daretur,
Jungere & innumeras nexa per ora animas.

*

Hic jacet exutis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cujus in octava lascivia surgere messe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quod si longa tuæ mansissent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

*

Verna puer, puer ô mi verna, quis, ah! quis ab aura
In tenebras rapuit; perditus ah! morerer,
Ni tecum assiduè loquerer, ni sæpe jocando
Fallerer, hinc te cùm continuò aspicio.
Semper ero tecum, & si me sopor occupet, umbram,
Te umbra petam. ergo unquam ne metue abs te abeam.

*

Formâ atque illecebris Veneri vix æmula livor
Saxo delicias invidus occuluit:
Artificis pietate iterum rediviva placebam,
Ni me vidisset Cypria marmoream.

*

Si fructus proprio subdit de germine tellus,
Si reparat sparsis debita seminibus;
Nascentur tumulo formæ, nova messis, honores,
Et lepor, & suavis gramina nequitiæ.

*

Injice, si pietas usquam est, suspiria, & imple
Mecum hospes lacrymis marmoris hoc vacuum.
Nam formæ exemplum periit cùm obiit mea Lyde,
Quam periêre homines, vel periêre dii.

*

Lydia bella puella, candida,
Quæ bene superas lac & lilium.
Albamque simul rosam rubidam,
Aut expolitum ebur Indicum,
Pande puella, pande capillulos
Flavos, lucentes ut aurum nitidum
Pande puella collum candidum,
Productum bene candidis humeris.
Pande puella stellatos oculos,
Flexáque super nigra cilia.
Pande puella genas roseas,

Perfusas rubro purpura Tyria.
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia basia:
Sugis amentis partem animi:
Cor mihi penetrant hæc tua basia.
Quid mihi sugis vivum sanguinem?
*Conde papillas, conde * gemipomas,*
Compresso lacte quæ modò pullulant.
Sinus expensa profert cinnama:
Undique surgunt ex te deliciæ.
Conde papillas, quæ me sauciant
Candore, & luxu nivei pectoris.
Sæva non cernis quod ego langueo?
Sic me destituis jam semimortuum?

Licinii Calvi in Cn. Pompeium.

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. quid credás hunc sibi velle? virum.

REGIANI DE BAIIS.

Ante bonam Venerem gelidæ per litora Baiæ,
Illa natare lacus cum lampade jussit Amorē:
Dum natat, algentes cecidit scintilla per undas:
Hinc vapor ussit aquas: quicunque natavit, amavit.

PETRONII

PETRONII AFRANII.

De sigillo Cupidinis aquas fundentis.

Igne salutifero Veneris puer omnia flammans
Pro facibus proprias arte ministrat aquas.

SENTII AUGURINI.

Canto carmina versibus minutis
His, olim quibus & meus Catullus,
Et Calvus, veteresque, sed quid ad me,
**Vnus Plinius est mihi, priores?*
Mavult versiculos foro relicto:
Et quærit quod amet, juvatque amare,
Ille Plinius, ille. quid? Catones.
I nunc, qui sapias, amare noli.

*

Parce precor virgo toties mihi culta videri,
Meque tuum forma perdere parce tua.
Parce supervacuo cultu componere membra:
Augeri studio tam bona forma nequit:
Ne tibi sit tanto caput & coma pexa labore,
Et caput hoc bellum est, & coma mixta placet.
Ne stringant rutilos tibi serica vincla capillos,
Cùm vincant rutilæ serica vincla comæ.
Nec tibi multiplicem crines revocentur in orbem,

Inculti crines absque labore placent.
Aurea nec video cur flamea vertice portes:
Aurea nam nudo vertice tota nites.
Vtraque fert auris aurum, fert utraque gemmas,
Vtraque nuda novis anteferenda rosis.
Ora facis vitreo tibi splendidiora nitore,
Cùm tantùm ora vitro splendidiora geras.
Incendunt niveum lunata monilia collum,
Nec collum simplex dedecuisse potest.
Contegis occulta candentes veste papillas,
Candida cùm nolit veste papilla tegi.
Ne toga fluxa volet, reprimit tibi fascia corpus:
Sat corpus veneror, sit toga fluxa licèt.
Dic, teretes digitos quare annulus & lapis ambit,
Cùm teretes digiti dent pretium lapidi?
Ornatu nullo potes exornatior esse,
Et tantùm ornaris in mea damna nimis.
Ne te plus æquo species externa perornet,
Cùm sis plus æquo pulchra decore tuo.
Non ego sum pro quo te componendo labores,
Nec qui te talem non, nisi cogar, amem.
Pronus amo: non sum tenero qui pugnet amori,
Nec qui te roseam vellet amare deam.
Cùm radiis certare Jovis tua lumina possent.
Et possent radiis vincere signa Jovis.
Sole nihil toto meliùs splendescit in orbe,
Sole tamen meliùs splendidiúsque nites.

Sunt tibi colla quidem nive candidiora recenti,
Sed nive, quæ nullo marcida Sole jacet.
Conveniunt tepido tua frons & pectora lacti,
Sed lacti saturæ quod posuere capræ.
Cedit odora tibi vernantis gloria Sylvæ,
Nec tibi quod riguus præferat hortus habet.
Nulla colorati species tibi proxima prati,
Nec cùm floruerit par tibi campus erit.
Alba ligustra tuæ nequeunt accedere laudi,
Fixaque cespitibus lilia laude premis.
Nulla tuos possunt æquare rosaria vultus,
Cùm nec adhuc spinis sit rosa vulsa tuis.
Gratia, quam violæ maturo flore merentur,
Si quod contulerit se tibi, vilis erit.
Non Helenæ mater, nec par tibi filia Ledæ:
Quãvis hæc Paridem moverit, illa Jovem.
Compulit illa Jovem cygni latuisse sub alis,
Compulit illa Phrygas sæva sub arma Duces.
Leda per albentes humeros fluitante capillo
Dum legit Argivæ florea serta Deæ,
Erranti super astra Jovi de nube suprema
Cognita, plumalem de Jove fecit avem.
Tuque puellarum dum ludis in agmine princeps.
Inter virgineos lucida stella choros,
Si magno conspecta Jovi de nube fuisses,
Deposuisse Deum non puduisset eum.
Ast Helenæ facies & opima potentia formæ
Dardanio Paridi per mare præda fuit.

Græcia conjurat repetendam mille carinis,
Jurata hanc ratibus Græcia mille petit.
Te tam conspicuam Phrygius si prædo videret,
Et te vel ratibus, vel rapuisset equo.
Annis tracta decem sunt Troïca bella; sed uno,
Si pro te fierent, mense peracta forent.
Virgine Ledæa me judice dignior esses,
Pro qua Trojanas flamma cremaret opes,
Tu poteras Priamo validissima causa fuisse,
Nulla ut cura foret regna perire sua.
*Si succincta togam * risu pharetrata Diana*
Venatrix toto crine soluta fores:
Si Dryadum comitata choro, si nuda lacertos
Arcu fulmineos insequereris apros:
Te quicumque Deus silvosa per antra vagantem
Conspiceret, veram crederet esse Deam.
De pretio formæ cùm tres certamen inessent,
Electusque Paris arbiter esset eis:
Præfecit Venerem Paridis censura duabus,
Deque tribus victæ succubuere duæ.
Cum tribus ad Paridem si quarta probanda venires
De tribus à Paridi quarta probata fores.
Pomáque si formæ potiori danda fuere,
Hæc potiùs formæ danda fuere tuæ.
Ferrea corda gerit, tua quem cœlestis imago,
Vel tam purpureæ non tetigere genæ.
Robore, vel scopulo genitum convincere possim

Quem tam solenn is forma monere nequit.

*

In cratere meo Tethys est conjuncta Lyæo,
Et Dea mixta Deo; sed Dea major eo.

*

Blanditur puero Satyrus, vultuque, manuq;
Nolentis similis retrahit ora puer.
Quem non commoveant, quamvis de marmore? fundit
Penè preces Satyrus, penè puer lacrymas.

*

Me mihi surripuit contraria flamma sororum,
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Ore Melas, oculisque Theis, placuere, subinde·
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Sed dum nigra Melas ridet sine voce sororem
Despectam Theidis forma facitq, Melam.
Me mihi restituit contraria flã ma sororum:
Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.

FINIS

Variorum veterum erronum Venereorum, & Catalectorum.

AUSONII

Viri Consularis

CENTO NUPTIALIS, Virgilianis versibus in alium sensum detortis.

AUSONIUS PAULO S.

PErlege hoc etiam, si operæ est, frivolum & nullius pretii opusculum: quod nec labor excudit, nec cura limavit: sine ingenii acumine, & moræ maturitate. CENTONEM vocant, qui primi hac concinnatione luserunt. Solæ memoriæ negotium, sparsa conligere, & integrare lacerata: quod ridere magis, quàm laudare possis. Pro quo, si per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius *nauci* daret, nec *cicum* suum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. Sed quid facerem?

jussum erat. quodque est POTENTISSIMUM IMPERANDI GENUS, rogabat, qui jubere poterat, Imperator Valentinianus, Vir meo judicio eruditus: qui Nuptias quondam ejusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus, & compositione festiva, experiri deinde volens quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. Quàm scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige! Neque anteferri volebam, neq, posthaberi: cùm aliorum judicio detegenda adulatio inepta, si cederem: insolentia, si, ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti: feliciterque & obnoxius gratiam tenui: nec victor offendi. Hoc, die uno, & addita lucubratione, properatum, modò inter liturarios meos cùm reperissem: tanta mihi candoris tui, & amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. Accipe igitur opusculum de incōnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum: ne in sacris & fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium: illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, ut doceam docendus ipse, CENTO quid sit, absolvam. *Variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur, in unum versum ut coëant, aut cæsi duo, aut unus &*

ſequens cum medio. Nam duos junctim locare, ineptum eſt: & tres una ſerie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæſuras omnes quas recipit verſus Heroicus, convenire ut poſſit, aut penthemimeris cum reliquo anapæſto: aut trochaicè cum poſteriore ſegmento: aut ſeptem ſemipedes cum anapæſtico chorico: aut poſt dactylum atque ſemipedem, quicquid reſtat hexametro. Simile ut dicas ludicro, quod Græci στομάχιον *vocavere. Oſcilla ea ſunt. ad ſummam quatuordecim figuras Geometricas habent. Sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: iſoſcele, vel iſopleura: orthogonia quoque vel ſcalena. Harum vertibularum variis coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarum, Elephantus bellua: aut aper beſtia: anſer volans: & mirmillo in armis ſubſidens: venator, & latrans canis: quin & turris: & cantharus: & alia hujuſmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio ſcientius variegant. Sed peritorum concinnatio, miraculum eſt: imperitorum junctura, ridiculum.* Quo prædicto, ſcies: quod ego poſteriorem imitatus ſum. Hoc ergo Centonis opuſculum, ut ille ludus, tractatur: pari modo ſenſus diverſi, ut congruant: adoptiva quæ ſunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accerſita ne vim redarguant: denſa ne ſupra modum protuberent: hiulca

ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum est, dices me composuisse Centonem. Et quia sub Imperatore meo tum merui: procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis. Sin aliter ære dirutum facies: ut cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus unde venerunt. Vale.

AUSONII

CENTO NUPTIALIS.

ACCIPITE hæc animis, lætasque advertite mentes,
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis;
Ambo florentes, genus insuperabile bello.
Tuque prior, nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides. quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
Tuque puerque tuus, magna spes altera Roma,
Flos veterum virtusque virum, mea maxima cura,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem.
Non injussa cano. sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. mihi jussa capescere fas est.

COENA NUPTIALIS.

Expectata dies aderat dignisque hymenæis
Matres atque viri, juvenesque ante ora parentum
Conveniunt: stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris: pinguisque ferinæ
Viscera tosta ferunt. series longissima rerum.
Alituum pecudumque genus, capreæque sequaces
Non absunt illis, nec oves hœdique petulci,
Et genus æquoreum, damæ, cervique fugaces.
Ante oculos, interque manus sunt mitia poma.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi:
Crateras magnos statuunt, Bacchumque ministrant.
Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicunt:
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocũ.
At parte ex alia, biforem dat tibia cantum,
Omnibus una quies operum; cunctisque relictis
Consurgunt mensis. per limina læta frequentes

Discurrunt, variantque vices populusque patresque,
Matronæ, pueri. vocemque per ampla volutant
Atria. dependent lychni laquearibus aureis.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSÆ.

TAndem progreditur Veneris justissima cura,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:
Virginis os habitumque gerens, cui plurimus ignem
Subjecit rubor: & calefacta per ossa cucurrit,
Intentos volvens oculos: uritque videndo.
Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum. vestigia primi
Alba pedis. dederatque comam diffundere ventis.
Fert picturatas auri sub tegmine vestes,
Ornatus Argivæ Helenæ. qualisque videri
Cœlicolis, & quanta solet Venus aurea contra:
Talis erat species. talem se læta ferebat
Ad soceros; solioque alte subnixa resedit.]

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI.

At parte ex alia foribus sese intulit altis
Ora puer prima signans intonsa juventa,
Pictus acu chlamidem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Et tunicam molli mater quam neverat auro.
Os humerosque deo similis, lumenque juvētæ
Qualis ubi Oceani perfusus lucifer unda
Extulit os sacrum cælo: sic ora ferebat,
Sic oculos. cursuque amens ad limina tendit.
Illum turbat amor, figitq; in virgine vultus.
Oscula libavit. dextramque amplexus inhæsit.

OBLATIO MUNERUM.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, pallam signis auroque rigentem,
Munera portantes, aurique eborisque talenta,
Et sellam & pictum croceo velamen acantho.
Ingens argentum mensis: colloque monile
Bacchatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

Olli serva datur geminique sub ubere nati.
Quattuor hic juvenes, totidem innuptæque puellæ:
Omnibus in morem tonsa est coma. pectore summo
Flexilis obtorti per collum it circulus auri.

EPITHALAMIUM UTRIQUE.

TUm studio effusæ matres ad limina ducunt.
At chorus æqualis, pueri innuptæque puellæ,
Versibus incœptis ludunt, & carmina dicunt:
O digno conjuncta viro, gratissima conjux,
Sis felix, primos Lucinæ experta labores,
Et Mater, cape Mæonii carchesia Bacchi.
Sparge marite nuces. cinge hæc altaria vitta.
Flos veterum virtusque virûm; tibi ducitur uxor;
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Fortunati ambo. si quid pia numina possunt,
Vivite felices, dixerunt. currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

INGRESSUS IN CUBICULUM.

POstquam est in thalami pendentia punice tecta
Perventum: licito tandem sermone fruuntur:
Congressi jungunt dextras: stratisque reponunt.

At cytherea novas artes, & pronuba Juno
Sollicitat: suadetque ignota lacessere bella.
Ille ubi complexu molli fovet. atque repente
Accepit solitam flammam, lectumque jugalem:
O virgo, nova mi facies, gratissima conjux:
Venisti tandem, mea sola & sera voluptas.
O dulcis conjunx. non hæc sine numine divûm
Proveniunt. placitone etiam pugnabis amori?
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur:
Cunctaturque metu: telumque instare tremiscit,
Spemque metumque inter. funditque has ore loquelas:
Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
O formose puer, noctem non amplius unam
Hanc te oro. solare inopem, & miserere precantis.
Succidimus. non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires. nec vox aut verba sequūtur.
Ille autem, Causas nequicquā nectis inanes:
Præcipitatque moras omnes, solvitque pudorem.

PARECBASIS.

HActenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale, ambita & cir-

eumitione velavi. Verùm quoniam fescenninos amat celebritas nuptialis: verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit: cætera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut bis erubescamus, qui & Virgilium faciamus impudentem. Vos, si placet, hîc jam legendi modum ponite: cætera curiosis reliequite.

IMMINUTIO.

Postquam congressi sola sub nocte per umbram,
Et mentem Venus ipsa dedit, nova prælia tentant.
Tollit se arrectum. conantem plurima frustra
Occupat os, faciemque, pedem pede fervidus urget.
Perfidus alta petens, ramum qui veste latebat
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem
Nudato capite, & pedibus per mutua nexis,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Eripit à femore, & trepidanti fervidus instat.
Est in secessu, tenuis quo semita ducit,
Ignea rima micans exhalat opaca mephitim
Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Hic specus horrendum, talis sese halitus atris

Faucibus effundens nares contingit odore.
Huc juvenis nota fertur regione viarum:
Et super incumbens nodis & cortice crudo,
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Hæsit, virgineũque alte bibit acta cruorem.
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Illa manu moriens telum trahit. ossa sed inter
Altius ad vivum persedit vulnere mucro:
Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit:
Ter revoluta toro est. manet imperterritus ille.
Nec mora, nec requies: clavumque affixus & hærens.
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Itque reditque viam toties, uterôque recusso
Transadigit costas, & pectine pulsat eburno.
Jamque ferè spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem adventabant. tum crèber anhelitus artus,
Aridáque ora quatit, sudor effluit undique rivis.
Labitur exãguis: destillat ab inguine virus.

Sed cùm legeris, adesto mihi adversus eos. *Qui*, ut Juvenalis ait,

Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

ne fortè mores meos spectent de carmine.

Lasciva est nobis pagina, vita proba:

Ut Plinius dicit. Meminerint autem,

quippe eruditi, probatiſſimo viro Plinio in poëmatis laſciviam, in moribus conſtitiſſe cenſuram: prurire opuſculum Sulpitii, nec frontem caperare: eſſe Apuleïum in vita Philoſophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus exſtare ſeveritatem, in epiſtolis ad Cærelliam ſubeſſe petulantiã: Platonis Sympoſion compoſita in ephebos epyllia continere. Nam quid Anniani feſcenninos? quid antiquiſſimi Poëtæ Lævii Erotopægnion libros loquar? Quid Evenum, quem Menander ſapientem vocavit? Quid ipſum Menandrum? quid Comicos omnes? quibus ſevera vita eſt, & læta materia. Quid etiam Partheniam dictum cauſa pudoris? qui octavo Æneïdos, cùm deſcriberet coïtum Veneris atque Vulcani νλιχροσημνίαν decenter immiſcuit. Quid in tertio Georgicorum de ſummiſſis in gregem maritis? nonne obſcænam ſignificationem honeſta verborum tranſlatione velavit? Et ſi quid in noſtro joco aliquorum hominum ſeveritas veſtita condemnat: de Virgilio accerſitum ſciat. Igitur cui hic ludus noſter non placet, ne legerit. aut cùm legerit, obliviſcatur aut non oblitus, ignoſcat. etenim fabula de nuptiis eſt; & velit, nolit, aliter hæc ſacra non conſtant.

CUPIDO CRUCI-AFFIXUS.

AUSONIUS GREGORIO FILIO SALUTEM.

AN nunquam vidisti nebulam pictam in pariete? Vidisti utique, & meministi. Treviris quippe in triclinio Æoli fucata est pictura hæc: *Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices*, non hæ de nostro seculo, quæ sponte peccant: sed illæ Heroicæ, quæ sibi ignoscunt & plectunt Deum. quarum partem in Lugentibus campis Maro noster enumerat. Hanc ego imaginem specie & argumento miratus sum: deinde mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poëtandi. Mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum. Nævos nostros & cicatrices amamus: nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus ut amentur. Verum quid ego huic Eclogæ studiosè patrocinor? certus sum, quodcunque meum scieris, amabis: quod magis spero, quam ut laudes. Vale.

AUSONII CUPIDO CRUCI-AFFIXUS.

AEris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides: & sua quaque,
Vt quondam occiderant, leti argumenta gerebant,
Errantes silva in magna, & sub luce maligna,
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos.
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomina flores,
Mirator Narcissus, & Oebalides Hyacinthus,
Et crocus auricomans, & murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia, quæ lacrymis & amoribus anxia mœstis
Exercent memores, obita jam morte, dolores,
Rursus in amissum revocãt Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet & ambustas latera per inania cunas
Ventilat ignavum simulatu fulminis ignem.

Irrita dola querens, ſexu gaviſa virili,
Mœret in antiquam Cœnis revocata figuram.
Vulnera ſiccat adhuc Procris, Cephalique cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſtæ
Lumina Seſtiaca præceps de turre puella,
Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur
Maſcula Leſbiacis Sappho peritura ſagittis.
Harmoniæ cultus Eriphyle mœſta recuſat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aëriæ Minoia fabula Cretæ,
Picturarũ inſtar tenui ſub imagine vibrat.
Paſiphaë nivei ſequitur veſtigia tauri.
Licia fert glomerata manu deſerta Ariadne.
Reſpicit abjectas deſperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit: hæc vacuæ ſimulachra coronæ.
Dædaliæ pudet hanc latebras ſubiiſſe juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functique mariti.
Parte truces alia, ſtrictis mucronibus omnes,
Et Thiſbe, & Canace, & Sidonis horret Eliza.
Conjugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hoſpitis enſem.
Errat & ipſa, olim qualis per Latmia ſaxa
Endymioneos ſolita affectare ſopores,
Cum face & aſtrigero diademate Luna bicornis.

Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus, & mœstis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias, furvæ caliginis umbram
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum: memorique recursu
Communem sensere reum. quamquam humida circum
Nubila, & auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, & rutilæ fuscarent lampadis ignem:
Agnoscunt tamen: & vanum vibrare vigorem
Occipiunt: hostemque unum sua non loca nactum,
Cùm pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt trepidantem & cassa parantem
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœsto Myrtus notissima luco,
Invidiosa Deûm pœnis. cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonim.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Afficiunt. Reus est sine crimine judice nullo
Accusatus Amor. se quisque absolvere gestit:

Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cuncta exprobrantes tolerari insignia leti
Expediunt. hæc arma putant. hæc ultio dulcis.
Vt quo quæque perit, studeat punire dolorem.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit. illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, & sine fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepideque minantur
Stridentes nullo igne faces. rescindit adultum
Myrrha uterum lachrymis uventibus: inque paventem
Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie, ludibria tantũ
Sola volunt: stilus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem.
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus, tantos penetrat secura tumultus.
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites furias: natique in crimina confert

Dedecus ipsa suum: quod vincula cæca mariti,
Depreнso Mavorte, tulit: quod pube pudenda
Hellespontiaci ridetur forma Priapi.
Quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis. roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, & graviora paventem.
Olli purpureum multato corpore rorem
Sutilis expressit crebro Rosa verbere; quæ jam,
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ: vindictaque major
Crimine visa suo Venerem factura nocentē,
Ipsæ intercedunt Heroïdes, & sua quæque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia Mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas Puero dimittere culpas.
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem.
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit. pulsa tandem caligine somni
Evolat ad superos, portaque evadit eburna.

EJUSDEM ROSÆ.

VER erat; & blando morientia frigora morsu
Spirabat croceo mane revecta dies.

Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus.
Caulibus & patulis teretes colludere guttas,
Et cœlestis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi Pæstano candere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperet ne ROSIS *Aurora ruborem,*
An daret, & flores tingeret orta dies,
Ros unus, color unus, & unū mane duorum:
Sideris & floris nam domina una Venus.
Forsan & unus odor; sed certior ille per auras
Difflatur: spirat proximus iste magis.
Communis Paphie dea sideris, & dea floris,
Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat, quo se nascētia florum
Germina comparibus dividerent spatiis
Hæc viret angusto foliorum tecta galero:
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Jam meditans foliis se numerare suis.
Nec mora; ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens

Prodens inclusi semina densa croci:
Ac modò quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam;
Et dum nascuntur, consenuisse ROSAS.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque novatus,
Vna dies aperit; conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est.
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quàm longa una dies, ætas tam longa ROSARUM;
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modò nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum,
Sed bene, quod, paucis licet interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipsa suum.
Collige, virgo, rosas, dum flos novus, & nova pubes;
Et memor esto, ævum sic properare tuum.

DE PRIAPISMO

SEU

PROPUDIOSA LIBIDINE CLEOPATRÆ REGINÆ,

Ejuſque Remediis

EPISTOLÆ;

In lucem prolatæ ex Bibliotheca MELCHIORIS HAMINSFELDII GOLDASTI.

Typographus Patavinus

Lectori benevolo S. D.

PRæsentavi tibi, *Lector humaniſſime*, fidem membranei codicis, cujus mihi copiam ex feſtiva ſua Bibliotheca & omnis generis librorum referta fecit vir nobilis & Clariſſimus Melchior Haminsfeldius Goldaſtus, cùm hîc aliquandiu ſubſiſteret. Ejus autem vetuſta-

tem tum characterum elegantia, tum ipſa membrana ſatis commendat. An verò ipſorum, quorum nomina præ ſe ferunt, genuini partus ſint, an ab aliis ſuppoſiti, quæſtionis eſſe videtur. Equidem dum orationis filum & contextum conſidero, qui non propiùs à venuſtate Ciceroniani ævi abire quàm cœlum terra poteſt, videntur non eſſe, ſed unius cujuſdam multis ſeculis poſterioris, qui ne Latinè quidem admodum doctus erat. Eam conjecturam ex ipſis epiſtolis capio. Nam Soranus in ea ad Cleopatram ita ſcribit: *Dabo tibi commentarios Theodotæ & aliorum & de vitiis & de curatione mulierum, in quibus poteris addiſcere & diverſa vitia & curationes earum*. Ubi non dubitat nobiliſſimus ſimul & doctiſſimus Goldaſtus, quin pro *Theodotæ* legendum ſit, *Theodori*, intelliganturque commentarii Theodori Priſciani, quos ipſe *Gynæcea ad Salvinam* inſcripſit, editi Baſileæ operâ Sigiſmundi Gelenii. Deinde quod ait, *& aliorum*, annon innuit Erotis Medici, liberti Juliæ, *de Vitiis muliebribus librum*: qui eadem, qua Cleopatra & Soranus, ætate floruit? Præterea Moſchionis ſive (ut nonnulli ſcribunt) Muſchionis περὶ γυναικείων παθῶν à Conrado Geſnero ſeculi noſtri Varrone Græcè Latinéque editum cum notis? Atqui iſte multo poſt

Cleopatram tempore vixit. Ut nunc ponam ad compendium, Trotilæ *librum Matricis*, & Albucasis Arabis *morbis muliebribus*, quos primus collegit Gaspar Vvolfius Medicus & Professor Tigurinus, & in Gynæceorum libris recensuit Israël Spachius Argentinensis. quippe qui videntur posteriores harum epistolarum auctore fuisse. Ait porro Soranus, *in quibus poteris addiscere*, &c.

Unde extitit alius quispiam, qui non minori audacia librum *De vitiis & curatione mulierum* hujus ipsius Cleopatræ Reginæ nomine proscriberet, quem iidem illi, quos dixi, Vvolfius & Spachius edidere. Et sané decantata est ab antiquis scriptoribus insatiabilis Cleopatræ libido, quam verò nemo clariùs & evidētiùs expressit isto nostro Antonio. Ex se ne an veteri quopiam scriptore qui nobis perierit, incertum. Nobis quidem hæ epistolæ non minùs dignæ visæ, quæ ad plurium manus perveniant, quam vel illæ Cleopatræ liber ab eis viris editus qui & judicio valent & auctoritate; aut etiam ipsius Sorani *Isagoge in artem medendi*, quam Albanus Torinus Medicus Vitudurensis apud Helvetios in lucem protulit. Nam fictitiorum licet sint auctorum, multum tamen facere ad veterum quorundam loca intelligenda, Petronii Arbitri, Mar-

tialis, & aliorum, domi doctus didici. Quod autem ad remedia attinet, certa & indubitata esse, vel ipsa eorum præscripta materies argumento esse potest. Nec perdidere usum suum hodie ad vitiosam mulierum tentiginem sedandam, quæ nonnullis solet esse abortus, plerisque sterilitatis causa. Sed & viri non pauci reperiuntur fascinati & veneficio tacti, sive, ut Jurisconsultorum verbis utar, maleficiati & sortilegiati, quibus persanandis remedio hujuscemodi opus. Hæc volui nescius ne esses. Vale, lector, & utitor, sed more modoque honesto, obscænitatem Deo invisam, Angelis cogita abominabilem.

FRANCISCUS PHILELPHUS

Lib. 6. Epist. ad

PHILIPPUM MEDIUM

Philosophum ac Medicum cujusdam codicis meminit, quo comprehensæ videntur fuisse & hæc Epistolæ. Sic autem scribit:

MEmini cùm nuper esses Mediolani, vidisse apud te vetustissimum quendam codicem, qui Medicorum plurium scrip-

ta complecteretur, ut Corn. Celsi, & utriusque Sorani, & Apuleij, & Democriti, & quarundam etiam mulierum. Rogo igitur *te majorem in modum, ut aut illum codicem ad me mittas, tantisper apud me futurum, donec adscribatur, quod factum iri curabo quamprimum; aut istic ipse mihi cures exscribendum. Nam quod meâ causâ impenderis, id omne pecuniarum brevi ad te ibit. Medicos verò istos lecticare volo, non ut eorum mihi præceptis utendum cupiam, qui sum, ut nosti, corpore bene composito & valetudine prospera, sed doctrinæ duntaxat gratia. Mediolano pridie Nonas Januarias,* M. CCCC. XLIX.

EPISTOLA

HERACLII IMPERATORIS

Ad Sophoclem Philosophum pro expositione libri inventi ad caput Cleopatræ Reginæ in suo sepulchro.

HEraclius Imperator Parthicus, Persicus, & Babylonicus, Triumphator semper Augustus, Sophocli, viro sapienti & amico suo. Remeanti mihi à Persico bello, quod & magna virtute susceptum, & insigni victoria per Christi gratiam sumptum est, visum est, ut Als-

xandriam contenderem, quædam ibi, quæ agenda erant, de utilitate Reipublicæ disponere. Ubi dum per aliquot dies permanerem, placuit ut quædam sepulchra veterum Regum aperirentur, in quibus, ut fama erat, multæ gazæ inclusæ latuerant, ut malè ibi ingesta pecunia, si fortassis inveniretur, multorum utilitatibus deserviret. Itemque apertum est Cleopatræ sepulchrum illius famosissimæ Reginæ, quæ cum Antonio imperium totius penè Orientis tenuerat: ubi & corpus ejus juxta Antonium collocatum aromatibus conditum illæsum usque ad nostra tempora per centum viginti quinque Olympiades permanserat. Ad cujus Reginæ caput inventus liber est per ignotos characteres in æneis tabulis inscriptus, nobisque delatus: de quo dubium non erat, quin in eo aliquid magnæ utilitatis contineretur, quod tanta diligentia ad caput tantæ Reginæ reconditus jaceret, cœpimus quærere anxiè diligenter si fortè esset aliquis, qui ejus libri nobis scienniam aperiret & scriptum. Quod cum jam ignorantia multorum, qui sapientes esse videbantur, desperatione capti impossibile putaremus, tandem ad te recurrere decrevimus, quem in omni genere disciplinæ sapientem fore non dubitamus. Quamobrem eundem librum tibi dirigimus, ut

nobis ſcripturam & intelligentiam ejus exponas. Vale.

EPISTOLA
SOPHOCLIS SOPHISTÆ
Ad Heraclium Imperatorem de expoſitione & intelligentia præfati libri ſcripti in tabulis æneis.

HEraclio Imperatori Divo, Magnifico Viro ac Triumphatori ſemper Auguſto, Sophocles Sophiſta. Litteras Excellentiæ tuæ continentes petitionem tuam legi, atque in perquirendo ſcripturas & intelligentiam libri, quem miſiſti, plures dies conſumpſi. Tandem ut per quædam ſecreta artis noſtræ revelata mihi ejuſdem libri characterum ignotorum profunditas & intelligentiæ veritas, in primis quidem feliciſſimum te hominem eſſe cenſeo, cujus temporibus revelatum eſt arcanum multis ante ſeculis abſconſum, omnique tuo auro pretioſius. Cùm enim omnia, quæ ab uſu humano ſunt, propter hominem tantũmodo ſint pretioſa, quantò plus pretioſius illud eſt, per quod humana natura conſtringitur, & quod in ea depravatum eſt, ad ſtatum proprium reformatur? Quantos equidem fuiſſe exiſtimas Reges ſeculique Potentes, quibus Fortunæ

dederat hæreditatem, ſed vacua natura negaverat hæredem qui inæſtimabili pretio illud comparaſſent, ſi ſe adipiſci poſſe, quod te adeptum eſſe conſtat, ullo modo credidiſſent? Habes ergo theſaurum caſu quidem tibi oblatum, ſed noſtra diligentia repertum, quem ſummopere tibi cuſtodiendum eſſe ipſa ſui magnitudo commendat. Expoſitionem ſanè ſcripturæ in ejuſdem libri intelligentia quoque ſubtilitatem noſtris caracteribus conſignatam magnificentiæ tuæ trãſmiſi. Quod moneo diligenter recondi facias, nec unquam procedat in publicum: cujus tamen ſummæ utilitatis tu ipſe poteris habere uſum. Vale.

EPISTOLA

C. ANTONII COS.

Ad Q. Soranum de incontinentia libidinis Cleopatræ Reginæ.

ANtonius ter Conſul ſalutem dicit Q. Sorano. Veteris amicitiæ memor, ſimul & ſapientiæ tuæ virtute fideique conſtantia delectatus, quoddam meum privatum infortunium jam tibi declarare ſatago, ſpem mihi de tua egregia fide promittens, & quod commiſſum celatum habebis, & ad ſublevandum adjutor & ad diſponendum, ſi poteris, dévo-

tus exiſtes. Amore Cleopatræ comprehenſus atque formæ ipſius ſupra modum pulchritudine delectatus, ultra quàm oporteret virilem animum, ejus blanditiis delinitus, tamen ei de maritali fræno relaxavi, quod me contempto legumque timore, adulterio ſe commaculaverit. nec hoc mediocriter, ſed animo poſtpoſita muliebri verecundia ad tantam impatientiam flagitia prorupit, quod ſub una nocte ſumpto cucullo in lupanari proſtibulo centũ & ſex virorum concubitus pertulit. In tantum enim, ut profeſſa eſt, in tentigine rigidæ vulvæ erat accenſa, quod à lupanari quidem, ſed non ſatiata receſſit. & licet occultiſſimè actum eſſet, me tamen non latuit. tandemque hujus nefariæ offenſæ ab ea ſub interminatione vitæ ſciſcitatus, impatientiam gemini caloris & fervorem inveni. Quod per quoſdam Philoſophicæ artis peritos verum eſſe deprehendens, qui dicunt quarumdam mulierum tam ferventem eſſe naturam, ut ſi ſine veretro pene aſſiduo & continuo virili amplexu infra tertium decimum expertes fuerint, nec vivere quidem poſſint: & attendens etiam, ne ſi palam fieret ejus delictum, ad perpetuæ mihi infamiæ injuriam redundaret: fateor quidem, diſſimulavi rem, ſimul etiam miſeratus formæ ejus venuſtatem floremque juventu-

tis, & naturæ conditionem ingeniique ejus modeſtiam, quo multis mulieribus ſuperior eſſet, niſi hoc ſolo vitio laboraret, interminatus quidem mortem, niſi de cætero careret. Hoc quidem timore territa continere ſe cœpit. Unde in gravem infirmitatem decidit, atque advocatis & deſperantibus Medicis vitam ejus, niſi repentino concubitu ſatisfaceret naturæ, tandem ceſſit atque mortis metum voti feſtinatione ſolvit. Moxque reverentibus nobis non verita eſt vitium naturæ ſuæ profiteri ſibi reſtitiſſe pene uſque ad mortem, * ſub atteſtatione Medicorum fidelium protegebatur. Hac igitur miſeranda ſorte commoti in magnum mortis dolorem incidimus, quid facto opus eſſet omnibus modis ambigentes. Demum nobis nihil melius exiſtimavimus, quam in hac re ſpem conſilii in te ponere, quem ingenio præſtare omnique ſapientia multis documentis probatum eſt. Nam & talem eam habere, ut nunc eſt, quaſi mortuam nihil eſt: item ea carere difficillimum ex toto tenore voluntatis meæ manifeſtè facillimum eſt mihi talem pati, quam talem perdere: tamen ne talem habeam, tuo opere, tuo auxilio promereri inceſſanter expoſtulo. Age igitur totum ad quæ volueris habiturus: & ſi quis medendi illius infirmitatis locus in tua ſcientia

est, omni virtute exerce. Redde eam mihi, & ex hoc me totum adquire tibi. Vale.

EPISTOLA
Q. SORANI

Ad Antonium Cos. De modo medendi ardorem libidinis Cleopatræ Reginæ.

ANtonio Consuli Q. Soranus. Prudenter semper & fideliter amicis servatum est, ut amicorum causam suam deputent, & eorum infortuniis æquè, ac si ipsi patiantur, condoleant, & ubi adjuvandis eos remedia desunt, benevolentiæ munere consolationis fomenta adhibeant. Excellentia magnitudinis tuæ satis compertum habet, humanam felicitatem multis animi incommodis laborare, & hoc vel esse fallacis Fortunæ proprium, ut quibus aliquando blanditur læta fronte, hos aliquando rugosa fronte deterreat. Inde est quod te dominum gentium & Romanæ Reipub. quæ omnium divitiarum copia abundare facit, vitio saltem domestico & privato incommodo perstringi faciat, ut quam vertibilis sit, evidenter ostendat. Sed quoniam adversa fortuna superior est amicitiæ benevolentia, quæ

& ſecundas res ſplendidiores, & adverſas patiens leviores facit, mæſtitiæ tuæ ut verè amicus admodum compaſſus diu quæſivi, quo modo hanc quam pateris anxietatem vel minuendo levigarem, vel omnino auferrem. Perlectis igitur pluribus libris, ac perſcrutatis naturæ ſecretis, tam in genere animalium quàm lapidum, arborum & herbarum, quanquam multa remedia ad refrigerandum libidinis ardorem invenerim, ſummam tamen evincendæ libidinis non attinui, donec per quendam æditum in Templo Veneris edoctus in Chio inſula inveni librum continentem modum & vim hujus veri unguenti, quod tibi mitto, aliarumque rerum quæ ad uſum fœmineum deputantur, quod ita validiſſimum eſt, ſicut & noſtra narratione & tua probitate cognoſcere poteris. Vis ſanè hujus unguenti talis eſt, per quod unaquæque mulier ad amorem illius viri, qui cum ea concubuerit, ita attrahitur, ut omnium amoris obliviſcatur, quo imprimis ita uti debebis. Obſerva te per novem dies à Venereo opere, ita ut nullus fluxus ſeminis de te exeat: & utere cibis calidis, ovis quoque & caſeo, & vino forti, & pipere. Quod ſi tu vel ſenex vel frigidæ naturæ eſſes, medicinalia tibi poſſem adhibere fomenta, quibus, quia opus non habes, communes cibos ſumere valebis. Deinde hoc tibi maximè eſt obſervandum, ut

cùm post novem dies ad fruendum concubitum accedes, virile membrum non minùs in extensione sua quàm decem uncias habeas. Quod si non habeas per naturam, debes habere per medicinas.

Tolle siquidem lac caprifici, & radicem herbæ quæ dicitur tellina, & tere diligenter, & illines veretrum, & confricabis manibus, & sic ad prædictam magnitudinem consurget. Posthæc statim ut concubitum perficere volueris, totum veretrum præfato unguento inunges, & sic mitte infra vulvam mulieris quantò expeditiùs poteris. Mox enim jacto semine & liquefacto unguento, tanto amore tantaque dulcedine attrahit infra se matrix, quòd illico concipit mulier. Nam in tanto amore ex eo mulier adducitur, quod neque cum devirginatur ille amor huic potest æquari. Non tibi verendum erit, eam alii viro velle commisceri, nisi qui similiter ei possit facere.

Temperatio verò hujus unguenti tribus modis fit, & hoc tanto frequentiùs, quanto majori libidine concitatur. Nam sæpe in ipso opere Venereo, dum veretrum infra cunnum agitatur, fervente ipso motu libidinis ante jactum seminis virilis frequenter semina mittunt. Altero, concepto semine præ nimio amore extra semetipsam ferè per tres continuas horas ita in amore liquefacta, si-

cut in ipso puncto cum curculio in vulvam semen infundit. Tertio, cum illo ultra decimum concubitum delectatur. Hoc medicamine naturali ad concubitum dilectæ Cleopatræ utere, quam deinceps ita securus possidebis, ut nullius alterius concubitu fruatur: Vale.

EPISTOLA CLEOPATRÆ REGINÆ AD Q. SORANUM.

CLeopatra Regina Q. Sorano. Quantas gratiarum actiones magnitudini bonitatis debitrix sim, testis est conscientia mea, quæ manifestè sentit à quanto periculo quantaque infamia tua sapientia liberata sim. Testis etenim est Antonius, quem te nunc operante unicum diligo. Sublata namque fœminea verecundia, aperiam tibi fragilitatem meam & quasi nudam me tibi totam exponam: cùm sciam, me etiam tacente fœmineam fragilitatem te ex toto agnoscere, & fervidæ naturæ meæ causam tuo salubri remedio temperare. Ab annis namque pubertatis ex quo in viriles amplexus deveni, &

quærerem Veneris gaudia, persensi geminum calorem. Postea mulier ita alienata sum, ut omnium laborum atque rerum oblivifcerer.***. Vale.

EPISTOLA

Q. SORANI

ad Cleopatram Reginam de medendo ardore libidinis.

GRandis quidem, ô Regina, res est in multis temporibus absconsa, quam tibi demonstrari postulas. Sed quia Excellentiæ tuæ nihil denegare fas est, quem summo honore consulendum esse decrevisti, aperiam tibi consequenter omnia, quæ proposuisti, & de unguento quidem & de quibusdam aliis à te non propositis, quæ ad usus fœmineos privatos congruunt per seriem temporum, & à quibus auctoribus inventum, & à quibus etiam Reginis, quo modo & quo ordine probata sint, sub hac conditione exponam, ut nunquam in publicum prodeant præcaveas, hocque tam tibi quam posteritati tuæ. De natura autem mulierum, & vitiis & curationibus earum pauca tibi breviter perstringam. Nam dabo tibi commentarios Theodoti & aliorum & de vitiis & de curatione mulierum, in quibus

poteris addiſcere & diverſa vitia & curationes eorum. Perlecta ſanè epiſtola quam mihi pro te direxit Antonius, ex eo diligenter cœpi quærere, ſi quid poſſem pro eo æſtu libidinis, quo tu laborabas, probatum invenire remedium. Cumque perlectis pluribus libris & rimatis naturæ ſecretis tam in genere animalium quàm lapidum, arborum & herbarum, nec mihi ex toto accurreret ut volebam, tandem per quendam æditiuum Veneris edoctus ſum in Templo ejus, quod in Chio inſula ſitum eſt, multos antiquiſſimos libros Apollinis contineri, in quibus mox ſuſpicatus ſum fortaſſis me aliquid poſſe invenire, quod ad id, quod quærebam, proficuum eſſet. Animabat enim me ad id quærendum, quod & ipſe medicæ artis eſſet repertor, & ſolertiſſimus naturæ ſcrutator. Moxque iter arripiens ad Chion inſulam deveni, & introgreſſus aditum Templi omnes libros Apollinis, & Æſculapii filii ejus, & aliorum, quorum multa copia erat, perlegi, atque quod quærebam inveni, tibique ex memoria quod in ipſis continebatur edicam. Et primùm quidem, quod propter hominem medicina inventa eſt, & tractatur ibi de formatione viri & mulieris. Deinde de omnibus vitiis quibus humana natura corrũpitur, eorumque remediis. Et quoniam eam partem tibi declarare ſuſcepimus, ſecundum id quod ſupra propoſuimus, quæ propriè per-

tinet ad naturam mulieris, omissis cæteris, hoc tibi patefacere operam damus, quod propriè pertinet ad naturam mulierum. Inter viri namque & mulieris naturam sexus, & quæ ad sexum pertinent, diversitatem faciunt, ac per hoc & diversa vitia fiunt, & diversæ curationes. Inde ab ea parte, unde discrepat, exordiendum est. Et imprimis quidem est matrix, *quæ & semen recipit, & conceptum fovet, de quo diversæ & validæ infirmitates in corpore mulieris oriuntur. Quæ quidem principaliter tribus modis vocatur: primùm sanè* matrix, *ab eo quod mulieres partu suo matres efficiuntur. Tunc autem* stare *tunc appellatur, hoc est novissima in intestinis jaceat, aut quod usque ad annos* XIV. *unciæ sint apud virgines. Post mutationem verò ætatis effectus suos per partum mulieribus repræsentat. Dicit Aristoteles, quod fratres efficiat, qui ex una nascatur. Constat ex duabus tunicis. Vna exterior, quæ levior est alba: altera est durior & nervosa & pulposa. Quibus rebus in se continet omnia. cui etiam inhærent tunicæ tenues, ut ex membranis & nervis. Formata enim est sicut cucurbita medicinalis. Positio verò est ejus, quæ ab inferiori parte vulvæ inter duas protendens usque ad manum, habens super se* vesicam. *Cujus partes duæ sunt: una* orificium *dicitur, quod est ante partum pulposum & molle, post verò callo-*

ſum & ſpanoſum: Secunda verò eſt collum: *Tertia verò eſt* cervix *horum, ubi concurſus cauſa dicitur. Vbi verò poſt anguſtias dilatari incipit*, humerichir, *poſt hos* littera; *ubi verò rotunditas concluditur*, fundus *vocatur: inferior verò* baſis *dicitur. Omnis namque unitas illa quæ in medio ventris eſt*, ſinus *appellatur. Medius autem ſinus mulieris ex membranis nervoſis conſtat, & majoris inteſtini ſimul. Intus autem ſpacioſiſſimus, fons verò anguſtus, in quo coitus virorum & uſus Veneris efficitur, quem vulgus* cunnum *vocat. Cujus fons vel labra Græcè* eptyrogomata, *vel* pimiacula *dicuntur. Intus verò quod à ſuperiore parte deſcendit in medio dicta eſt* Landica, *modum ſæpe titillationis habens ex libidine. Ipſa verò à diminiculis retrò eſt, & in omnibus quidem mulieribus æqualiter, ſed per differentiam ætatis vel naturæ. Verumtamen quinque vel ſex digiti forma ejus eſt, quando concluſum eſt & necdum apertum in corruptione veretri, ſicut* afforis *eſt noviſſima pars auriculæ. Prope cervicem verò matricis in utramque partem ſunt teſticuli poſiti, & ſunt rotundi, & aliquantulùm latiores & graciliores quàm hominum, & ſpuunt ſemen per meatus, per quos mulieres ſemen excludunt: ſicque diſtenti juxta matricis latera ad veſicæ collum junguntur. In longitudine verò habet matrix* I. *ß. un-*

cias, angulos tres, foramina quinque: & horum alia ſunt, per quæ intrat ſemen ad concipiendum, alia unde purgatio fit menſtrui, & alia per quæ ad jactum ſeminis viri, teſticuli mulieris ſemen ſuum contrà emittunt. Quoniam, ſicut ex ipſa immiſſione comprehenſum eſt, novem uncias ſuperat amor mulieris amorem viri: ideo omnes mulieres impatientes eſſent libidinis, niſi quædam valetudines eſſent, quas loco ſuo dicemus intervenire. Quæ quidem in quibuſdam mulieribus plus, in quibuſdam minùs abundant ſecundum fervorem corporis vel temperantiam. Ad libidinem commovent & proſunt etiam extrinſecus medicinalia remedia, quibus ut ipſa es experta natura evincatur, & quidem illo unguento per quod natura tua temperata eſt: & hoc tanto frequentiùs, quanto majori libidine concitantur, vel in ipſo tempore Venereo, dum veretrum infra cunnum agitatur, fervente ipſo motu libidinis ante jactum virilis ſeminis frequenter ſemina emittunt.

Pulvis, quo maſculus utatur, Ermodactili. ℥I. Satyrion & Satureja ana ℥ & ſemis, pavacæ radix, piperis ana ℥I. cum vino fac trochiſcos ℥I. Da cum vino puro pro elect.

Ad idem, pene ſcilicet III. lib. ana ℥I. piperis IX. pulegii, nepite, ſatureja ana ℥III. pireti ℥ piri vel quod ſufficit.

Unguentum ad idem. Camomillæ lib. v. rutæ lib. & semis, artemisiæ ℥ III. abrotoni ℥ III. raphani ℥ & semis. Bulliat in oleo. Postquam ibi putrefactæ sunt per tres dies, faciat cum cera unguentum, & ungat masculum à genu usque ad umbilicum, quando debet concumbere.

Diæta, qua utatur fœmina. Pane levifacto de spelta, & portulacibus, lactucis & quinquefoliis, cum aceto & pauco sale & vino brusco, & omnibus carnibus & frigidis rebus. Masculus verò calidis omnibus, sed non calidissimis. Ita fœmina utatur cucurbita, melonibus: Vir porris, cepis, raphanis, macedonis, & aliis calidis herbis, & serò non saturetur, sed sobrius sit. *Hæc verò medicamenta viris & mulieribus congruentia, in Hypocratis & Æsculapii codicibus inveni in Templo Apollinis, Reginis & Regibus ab eis suadentibus composita, quorum nomina, ut promisimus, aliàs latiùs in suo loco dicemus.*

Y.

PER ANGUSTA
AD AUGUSTA,
TOBIÆ GUTBERLETH.

VEr juventæ florulentum quisquis instar Herculis
Transigit, callemque dextrum literæ biverticis
Rupium septum salebris, senticetis horridum,
Carduisque aculeatis pullulantem perpetim
Calcat indefessus Heros; & sinistrum tramitem.
Liliis amaracoque, sesamo & papavere,
Et marini roris umbrâ blandientem; gẽmis
Venulis passim pavitum, & uberantem nectaris
Fonte, lactis flore, mellis rore, dote sacchari,
Spernit, execratur, odit pejus aspide & cane:
Hunc beat triumphus olim, Lerna cedit centiceps;
Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Qui voluptatum latebras sordidas lactantium,

Atque Sirenum dolosas cantilenas præterit,
Ac Vlysses alter aures cereo repagulo
Obstruit, Circesque pocla toxico manantia
Spectat, & spectando ridet irretorto lumine:
Huic canore, & tibiarum non nocet poppysmatis
Blanda Siren, fœda Circes pocla non inebriant;
Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Læta qui Colonus arva sulcat, occat, pastinat.
Et laborato novali sparsa jactat semina:
Post screatus, Sisyphique saxeas molestias
Demetitque, colligitque mergites uberrimos,
Et catenato labore fructibus fruiscitur
Comparatis, in sinuque gaudet, atque subsilit:
Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Qui relicta illiberalis sordidique pegmatis
Subula, ligone, stiva malleo, mortario,
Atque pane verminoso, & forficis porrigine,
Se theatro Apollinari dedicatum consecrat;
More apisque (quæ liquore cellulas Hymettio
Stipat, & fucos nocentes arcet à præsepibus,
A favisque) bombilando jugiter circumvolat
Per vireta, per roseta, prata per ridentia
Floreosque per mæandros. areasque fertiles
Phocidos, Parnasiique collis, atque pallida
Ora poculis refertis Hippocrenes proluit:
Huic merum, rigente fuco, mel favique suppetunt;

Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Paginam viam Salutis qui sacrati Codicis
Phosphoro surgente mane lucis alma nuntio,
Ingruente prodromoque noctis hesperugine,
Volvit ardens & revolvit sedulo conamine;
Et Creatoris secundum jussa sancta criminis
Purus, integerque vitæ vivit usque, & ambulat,
Fundit hymnos atque Psalmos, gratiasque debitas,
Evehitque ad astra cœli Conditorem laudibus,
Et rudes commilitones fraudis expers edocet
Veritatis & Salutis æviternæ semitam:
Hic in his terris Olympum luculentum possidet.
Et Monarcha Μακροκόσμῳ μικρόκοσμος *imperat;*
Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Cui Themis severa curæ est, & senatus legifer,
Cuique Aristides, Lycurgus, Vlpianus, Bartholus
Azo, Baldus cæterique Cæsaris satellites
Examussim dedolarunt corda juris ascia:
Qui clientium medetur Advocatus quæstubus,
Et parentibus carentum luctuosas lacrumas,
Et tori threnos amaros destituti compare
Masurii docta rubrica tollit atque obliterat;
Imo ubique justum & æquum strenue defensitat:
Hunc

Huic Dirce ſame quadrigis celſa ad aſtra ſubvehit;
Huic honores, huic ſecureis Imperator deſtinat:
Bis beatus, ter beatus, millies beatus eſt.
Quiſquis inſtrumenta Coi callet Æſculapii,
Atque alumni Pergameni miſcet aptè pharmaca;
Aut aduſti miſta Gebri, & Candidatus clibani
Æris aurum in potulentum transfigurat pulverem,
Efficacibuſque ſuccis, & metalli robore,
Et catenula trilice MercurI ſpirabilis,
Sulphuris, ſaliſque fretus, nunc phthiſin, nunc tormina,
Nunc podagra, unc cheragra, nunc furores febrium,
Nunc lupos cancroſque edaces, nunc abyſſos ulcerum,
Herniaſque polypoſque, calculique vetrici
Glaream, gravedinemque & faſcinum præficine.
Siſtit, atque frenat, atque ſtringit, atque perdomat:
Nunc ſagace purulenta dextera ſymptomata
Peſtiũque mille monſtra lenit, arcet, enecat:
Hunc manet perenne nomen, horrea huic ſuperflua
Copia cornu flagellat, merx inaurat indica:
Bis beatus, ter beatus, millies beatus eſt.

Orbitas humaniorum quisquis ardet artium.
Et fideliter novenis perlitat sororibus;
Fontibus nunc ex Pelasgis, nunc Latinis in suum
Ducit hortulanus hortum rivulos argenteos.
Nunc Panætii frequentat, nunc Platonis porticum,
Et Sami, Stoæ & Stagiræ literata pulpita.
Excutit, libat, coërcet, limat atque limitat
Nunc in hortis, Ramulisque mala Veromanduis
Aurei carpit liquoris, & saporis mustei,
Queis petat picas loquaces, futilesque psittacos,
Queis supercili supini corda fermento tument.
Nunc Lycéi Lulliani circulos in circulis
Arte subtili volutat, circinat triangulos,
Ritè combinationes literarum colligit,
Et cate vocabulorum barbarorum interpolans
Mira monstrat, mundiore veste nævos obtegit.
Nunc laborat universi scire mundi machinam
Et Dei formata quondam dextera miracula,
Spiritus quid sit caduco separatus corpore,
Quidque homo sit, cur creatus, quotque constet partibus;
Quæ feræ sylvis; pecusve pascuis inambulet;

Quæque pennarum volatu præpete ales aëra,
Quique pinnarum natatu piſcis æquor permeet;
Quas ſinu patente tellus bruta gignat arbores;
Herbulaſque dædalea fulgurantes iride;
Quæ metalla eviſceratis deliteſcant fertilis
Montibus Peruviæ, quas margaritas alveo
Indus eructet profundo, lucidaſve gemmulas.
Nũc pares, nunc impareſq; calculos Logiſtices
Supputat, tortoſque griphos dividens, multiplicans,
Subtrahens, addenſque ſolvit, & latentes temporum
Scrupulos enodat; Æris detrahit caliginem,
Et jubet conſtantiore luſtra talo currere.
Nunc cylindros anguloſque, nunc globos & circulos;
Et ſoli ſalique tractus diſſitos delineat.
Nunc poli ruſpatur orbes, & nivoſas Plejadas,
Et labores & meatus lampadis Phœbeïæ,
Et viciſſitudines, quas ſphæra Lunæ parturit,
Linguâ & aure nunc ſonores Muſices, nunc ſchemata
Optices miranda ocello curioſo examinat.
Nunc baſes Vitruvianas & columnas erigit.
Cum renato caſtra pingit, ſabricat teſtudines,
Arietes cuniculoſque; tela, geſa ſuggerit,
Atque Achillis Hectoriſque jura dat nepotibus.

Nunc penatibus redonat patriis Thucydidem;
Nunc statuta Cyrus alter Atticæ Musæ arripit.
Nunc tua, Plutarche, merce cordis ornat scrinium;
Nunc coarctat in minutis copiosum pellibus
Livium, nunc providentem consulit Cornelium:
Nunc manu pugnace Rhenum tranatans cum Cæsare
Ariovistum lacessit, Ambiorigem fugat,
Et cruore decolorat bellicoso flumina.
Nunc lepore Curtiano mentis aras imbuit;
Nunc tabellarum Sisennæ naufragarum fragmina,
Laminasve bracteatas eruit Sallustii
E situ avitatis hoste, liberat, recolligit,
Erutasque & liberatas in phalanges diribet:
Nunc amat suavitate Tullii facundiam
Marmoratam, fulmen acris nunc stupet Demosthenis.
Nunc serente cum Catone rusticatur rusticus,
Et maritat amputando vitium propagines;
Mox oves macras saginat pascuis Bœotiis,
Et Theocriti Menalcam, Titirumque fistulâ
Accubans fagi sub umbra provocat septemplice.
Mox pedissequus Dianæ tesqua per silentia
Vicanum latrãte cinctus Oppiani & Gratii

Arma vibrat & ferarum lustra lustrat devia.
Nunc tubam late boantem Mœonii inflat Nestoris:
Nunc inerrat saltuosis Statii recessibus;
Thessalisve gesta campis machinatur prœlia.
Nunc Canopi civis audit, nunc protervæ Bilbilis,
Nunc Catullum, nunc Tibullum, nunc Propertium asciat,
Cypridis Cupidinisque vinnulos Triumviros
Passerisque Lesbiani pipulantes nidulos
Thessali liquore Pindi lactat: aut threnodiæ
Fata lugubri dolenda plorat, atque funeris
Victimas æternitatis consecrat larario:
Deliamve Cynthiamve penicillo vividi
Ingenî pingit, redonans Gratiarum pergulis
Et capillos, & genarum, luminumque fulgura,
Et manus albore Cygni provocantes plumulam;
Mox cato sororiantum collium tubercula
(Mome rides? Mome carpis, & labores ludicros
Viperino dente rodis? Pura puris omnia,)
Peplo honestatis revelat, providéque obnubilat.
Nunc olorem Mantuanũ populi sub tegmine
Ad Padi fugacis undas æmulatur; Appuli
Nũc cygni laboriosum suavè motat barbitũ.

Nunc Bathyllum cantilenâ Tela ſufflaminat,
Pindarive dithyrambos rore Dirces irrigat.
Nunc cothurni ſyrmatiſque granditatem ruminat,
Æſchyloque, Euripidique, Corduæque ſubvenit.
Nunc pedes Thraſonis Afro ſocculo ſtatuminat,
Et Chremeta tuſſientem & litigantem Demeam,
Pamphiloſque Pamphilaſque ducit in proſcenium;
Nunc & orcheſtram jocoſi Sarſinatis ventilat,
Et macherâ fulminante glorioſum militem
Cingit, Euclionis aulam defodit, nutu Jovis
Alcumenam, Amphitruonem, Soſiamque decipit.
Nunc toga decentiore veſtiens Podalyrium,
Auſonem vorace blatia vinculiſque liberat:
In theatro Celſiore *collocat ſuperſtitem,*
Et monetam adulterinam curioſa indagine
Dexteræ Clementioris *ſacrat undis Tartari.*
Nunc alit gyratque tygres & triumphantem eſſedo
Indiæ oſtentat Lyæum, penduloſque pãpinos.
Nunc per ærumnas trecentas Appuleïus Lucium
Ducit ac reducit audax cantibus Mileſiis,

Plumbeum pec-isque mutat artifex in aureum.
Arte nunc sese figuras vertit in mirabiles
Proteus Pelignus omnes, insciumque Actæonem
Cornuum ramis stupendis armat, & molaribus
Lælapis sævi propinat, mox lupi Lycaonem
Induit villis cruentum, mox Arachne aranea
Dat manus textricis, alas Tereo, aures quercubus.
Nũc oleto ex Enniano nobile aurum colligit,
Vniones & smaragdos & jubar saphirinum,
Mente mundus, falce censor, & vafer purissimam
Arbiter Petronianam fœditatem temperat,
Et reformat fellis amnes in fluores melleos,
Roscidis favisque farcit mystica alvearia.
Nunc recentes, quos dedere secla nostra literis
Sospitatores sepultis, atque Atlantes bajulos
Heinsios, Burdeniosque, Lipsios, Casaubonos,
Vossios, Salmasiosque, comparisque commatis:
Haud viros subsellii imi, nec minorum gentium
Consulit mutos Colossos, ac eis se mancipat
Quid loquor? quod longiore tædiorum macero
Ambitu lectoris aures! terra, cœlumque audiant:

Quisquis his & quisquis illis, à tenellis unguibus,
Artibus, scientiisque liberalioribus
Applicat se mente tota, fervidisque viribus,
Atque nocturnus labores & diurnus imbibit;
Hic cluit mortalitatis hujus exlex; ocior
Içaro non usitatis astra pennis transvolat,
Ac petit mundi remoti visa paucis climata,
Qua Tagus, Tigris, Garumna, Nilus, Ister, Albula
Large inundant, & feraci rura limo stercorant.
Huic amœnum cana bruma gaudiis plenissimis
Affluens ver fundit olim, pascitur favoniis
Sortis albæ, & aurei imbris gutta larga depluit,
Ac beatitatis aura sempiterna recreat,
Et laris tholos coronat invidenda gloria:
Bis beatus, ter beatus, millies beatus est.
Heus Ephebe, tiro Phœbi, quisquis alta pectore.
Ei nihil mortale speras; quique aves relinquere
Nescium perire nomen posterorum posteris,
Et tibi creare famam literis superstitem,
Atque dictis atque factis adjuvare patriam
Consilî tui indigentem: si cupis contingere
Strenuus currendo metam cursor optatissimam,

Et ſcopi libare laurum, & præmiis potirier
Curſitanti deſtinatis, flagitaſque cernere
Ver amicum horrente bruma: ſi juventam marcidæ
In ſenectæ purpurantem, in morte vitam, & dicier
Bis beatus, ter beatus, & beatus millies:
Numen ora; dein labora (cuncta DI laboribus
Improbis vendunt ephebo, & impigro molimini)
Perfer æſtum, nudus alge, ſperne thyrſum Liberi,
Et duella cirnearum, fortiumque amyſtidum
Et ſacri peti atque Zythi fœtidum connubium.
Commatis mali ſodales pelle contubernio,
Temporum fureſque vita Murciæ nepotulos.
Cypridis titillat æſtrum? caſtitati te vove,
Craſque ama, ſi nunquam amaſti, ſique amaſti cras ama.
Vere primo, vere adulto, vere tabeſcentéque
Callidus, laborioſus, dædala, imperterritus,
Sis Vlyſſes, ſis arator, ſis apis, ſis Hercules.

FINIS.